



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, 1664**

Controv. VIII. De modis ritè, rectéque loquendi de Incarnatione.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



## CONTROVERSIÀ OCTAVÀ. DE MODIS RITE, RECTEQUE loquendi de incarnatione.


**D**IFFICULTATES, quæ in modis loquendi de incarnatione occurrunt duabus disputationibus complectemur. Prima de idiomatum communicatione ager. Secunda de aliis propositionibus, quæ ex communicatione idiomatum non omnino pendunt.



### DISPUTATIO I.

#### De idiomatum communi- catione.

**I**DIOMA græcè idem quod latinè proprietas, vel proprium valere vulgatum est: quare idiomatum communicatio tantumdem erit in Christo, atque proprietatum utriusque naturæ communicatio vicissim. Propria autem naturæ cuiusque sunt primò essentialia ipsius: secundò ipsius passiones, siue attributa: Tertio quæ ita alteri naturæ contingunt, ut alteri secundum se contingere nequeant. Primo ergo idiomatum communicatio, & in quibus sit, Catholicè statuetur. Secundo quibus vocibus admittenda sit, definietur: concretis solum, an etiam abstractis. Tertio rationem communicationis huius idiomatum theologicum rigido examine dabimus; deinceps de aliis veritatis huius confessionis difficultatibus disputabimus.



#### QVÆSTIO I.

*An, & penes quæ sit idiomatum in Christo  
communicatio?*

**D**iximus idiomatum communicatio esse proprietatum utriusque naturæ Christi vnus ad alteram mutuam communicationem: atque inter naturæ propria alia essentialia, alia passiones, & attributa alia, alia demùm ipsi contingentia esse. Nunc ergo an in aliquo, an in his omnibus communicatio idiomatum utriusque naturæ Christi sit, examinamus.

#### CERTAMEN I.

*Negantes idiomatum communicationem idiomatum  
explosi, atque ex parte vindicatus Durandus.*

**I**diomatum communicationem, quæ in prædicatione diuinorum de homine, & humanorum de Deo consistit, merè arbitriam, & de puris vocibus eius disputationem sine vllò in mysterio incarnationis fundamento hæretici arbitrantur, qui circa incarnationem à vero aberrant: ut, scilicet, errorum suo-

rum acrem impugnationem, scilicet, ipsam idiomatum communicationem liberè negarent. Nestoriani igitur realem vnionem humanitatis cum Verbo, & utriusque naturæ in persona vnitatem abnuentes idiomatum communicationem, quæ sine illis esse non potest, obstinato negant. Ab his non abire longè nominati Theologi apud S. Bonau. & Scotum in 3. d. 7. art. 1. q. 1. asserentes *Deum non dici propriè humanum, sed habentem hominem*. Vbi Nestorianè videntur supposita in Christo diuidere, atque exinde idiomatum communicationem negare. Quòd si benignè hominem ab eis, non pro persona humana, sed pro natura (ut propriè potuit iuxta dicta d. proem. & dicenda hic d. 2.) ab ipsis vsurpari dicamus, adhuc inferitur contra ipsos, non magis propriè dici apud ipsos *Deus est homo*, atque *Deus est humanitas*: quod est plane erroneum. His annumeratur, non sine graui censura, à pluribus Durandus: quod in 3. d. 4. q. 2. num. 9. dixerit propriè dici *Petrus est*, quàm *Deus est homo*: quia nec de Deo essentialiter, & in quid prædicatur, sicut de Petro, homo. In quarta vero ratione solum videtur concedere Deum propriè dici *humanum*, seu, quod idem est, adiectiue, nec solum participialiter *humanatum*: id quod de supposito, de quo propriè dicitur *homo*, nequit propriè & verè dici iuxta Durandum ibi, vnde inquit ille Petrus, qui verè, & propriè dicitur *homo*, nequit verè, & propriè dici *humanius*, verè, & propriè dici *hominem*: ac proinde, & communicationem idiomatum negare.

2 Ob hæc omnia grauioribus censuris à Theologis grauioribus Durandus accipitur à Palquez d. 63. cap. 2. à Soar. 3. p. q. 16. art. 1. in commentario *Trinitatis dubium*. Sed tamen si illud propriè non in tota languine, prout omnem propriam acceptionem vocis *homo* comprehendit, sed prout dicit maxime propriam eius vocis acceptionem, ut in prima Durandi propositione continetur, nihil in his censura dignum reperio, imò nihil præter Soarj, & communem iam Theologorum doctrinam. Etenim, ut verè homo dicatur de Deo, vox *homo*, quæ concretum substantiale substantiuum est, debet sumi adiectiue, ut dicemus q. 3. cum communi Theologorum: atqui, licet iam ex reuelatione mysterij Trinitatis, & Incarnationis ea acceptio propria absolute sit, negari nequit, quin acceptio substantiua eius vocis sit propriè: quia nomina substantiua, substantiua præsertim, natura & institutione sua adiuuenta sunt ad significandas naturas substantialiter per modum per se stantis, cum autem adiectiue vsurpantur eas significant per modum alteri adiectis: quare non secundum suæ institutionis primæum significandi modum: ergo, cum adiectiue vsurpantur & significant, non adeo propriè significant, ac quando accipiuntur substantiue. Secundo: quia, ea est propriè vocis significatio, quam nomen absolute prolatum significat, quàm ea, ad quæ ex adiunctis aliis, quasi trahitur: atqui concreta substantiua substantiua

substantialia absolute prolata significant substantiæ adiectivæ autem solum ex adiunctis, ut ostendebamus, d. 12. de Trinit. q. 1. cert. 3. ac rursus ostendimus hic q. 3. ergo significatio substantiæ concreti substantialis substantiæ propriæ est, quam significatio adiectivæ: quare, de quo substantiæ verè prædicatur homo, pro prioris significatione verè prædicatur quam adiectivæ solum, ut de Deo: quare in eo sensu nihil peccavit Durandus, dum proprius de Patre quam de Deo hominem prædicari dixit.

3 In postremo autem, quo negavit hominem propriè non prædicari, de eo, de quo prædicatur *humanus* solum, ut de Deo prædicari dixit, si propriè in ea proprietate concreti substantialis substantiæ intelligatur, nihil censura dignum docuit. Sed tamen in rebus à Deo gravius, non ita loquamur, ut propositiones docta explicatione egeant, ne in dogmata offendant. Illud autem gravi censura dignum in Durando est, ut benè observavit Suarez, quod eadem q. 2. subiunxit. Nempe eum, qui credat mysterium incarnationis, ut re ipsa est, sine periculo posse communicationem idiomatum negare: quia, cum rem teneat, licet locutionem neget, non errabit in fide. Sed hoc est erroneum, & contra axioma Theologicum ex Hieronymo petitur: *ex verbis inordinatis prolatis hæresis incurritur*. Ratio est prompta, quia, ut hæresis non incuratur, oportet, ut nullis verbis res fidei negetur. Secundo non solum negando res fidei, sed veritates ex eis evidenter illatas, erratur contra fidem: atqui ex re incarnationis communicatio idiomatum evidenter infertur: ergo ea negata, licet res incarnationis credatur, errabitur contra fidem. Denique non solum res incarnationis, sed ipsa idiomatum communicatio de fide est, ut statim dicemus; ergo, qui hanc neget, licet rem incarnationis teneat, non solum contra fidem, sed in fide etiam errabit. Et sanè, si quisvis modus loquendi in mysterio periculo vacat, ut quid Theologi omnes, atque Durandus ipse tot de communicatione idiomatum, aliisque loquendi modis in hoc mysterio, & mysterio de Trinitate, aliisque, quæ firmiter credunt, quæstiones exarant?

4 Dicendum est idiomatum communicationem esse de fide quoad essentialia. In antiquiores Theologi in 3. p. q. 16. a. 1. & 2. Caiet. Cabrera, & reliqui interpretes. Vasquez d. 65. c. 3. Valent. t. 4. d. 1. q. 16. p. 1. Lugo d. 16. sect. 13. Vvadingo. d. 13. dub. 1. §. dico primo. Bernal. d. 45. sect. 1. §. 1. num. 11. sect. 4. num. 94. Ragusa, uterque Hurtado, & reliqui Scholastici, si Durandum excipias. Probatur omnibus scripturæ testimoniis, quibus contra. i. d. 1. contra hæreticos ostendebamus Christum verum Deum, verumque hominem esse, quæ hic ociosè repetenda non erunt. Id probaturum fide Ioannis Euangelium. c. 1. *Verbum caro factum est: id est, ut sit caro, seu homo. Ac sub Euangelij fidei totum illud scriptum ait, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei.* Epist. 1. canon. concludit de Iesu Dei Filio. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Apostolico, & Niceno Symbolo Iesus Deus de Deo dicitur. Passimque Iesu Mater, Dei Mater vera à Patribus, & Conciliis appellatur: quod aliter esse nequit, nisi, quia homo ille Iesus, quem genuit, verus Deus, & sit, & appelletur. Legite Concilium Ephesinum ad dogma Maternitatis huius statuendum coactum. Vbi approbatur Epistola Concilij Alexandrini contra Nestor. quæ est apud Cyril. 10. in cuius Anathematismo habetur, si qui Emanuelem non confiteatur secundum veritatem Deum esse, idèque B. Virginem esse Deiparam. Anathema sit Concil Lateran. sub Martino. 1. consultat. 7. can. 3. *si quis secundum sanctos Patres, non confiteatur propriè, & secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque virginem, & immaculatam Mariam, &c. anathema sit.* Synodus 6. act. 11. in Epist. Sophronij. §. *Credo & de hac docet B. Virginem propriè, & veraciter Matrem Dei esse.* 7. Synod. gener. siue Concil. Constantinopol. sect. 2. R. P. Christoph. de Ortega de Deo uno & Trino.

can. 6. damnat asserentes Virginem *abusivè* Matrem Dei appellari.

5 In eadem vera Dei Maternitate Virgini deferenda Patres omnes conveniunt, quos propterea tædè referre. Notabo tamen cum nostro Vasquez eos, qui non solum eam absolute (quod satis ad institutum erat) Virgini tribuunt, sed cum addito *vere*, ac *propriè* B. Virginem Dei Matrem esse docuerunt. Athanas. serm. de sanctiss. Deipara sub fin. lib. de incarnat. Christi sub init. Elias Cretens. in Epistolam Nazianzeni ad Cledonium, quæ est oratio. 51. eiusdem Anathematismo. i. Cyril. Alex. Epist. 1. quæ est ad Presbiteros, diaconos &c. ubi hanc esse Apostolorum doctrinam ait, sicque mirabundus scribit: *si namque Deus est Dominus noster Iesus Christus: quomodo Virgo, quæ illum peperit, Deipara non est.* Quibus planè notiosem fidelibus veritatem Catholicam esse fateatur, quod homo Iesus Deus sit, quam, quod B. Virgo sit Dei Mater, licet hoc ex illo evidenter deduci aperte etiam fateatur. Idem Cyrillus Epist. 10. quæ est ad Nestorium, recepta, ut sæpius diximus, à Concilio Alexandrino, & Ephesino. Damascenus eo vsque Dei Maternitatem in Virgine asseruit, ut eam *Deiparam*, non *Christiparam* dicendam docuerit. 3. de fide. c. 12. licet reuera Christi Matrem agnosceret quia Nestoriani *Christiparam* illam dicebant, & *Deiparam* vocarent. Denique in B. Virginis Dei maternitatem asserendam, docendam, prædicandam, non solum patres, & Doctores omnes Catholici, sed & concionatores omnes constanter conspirant cum Scholasticis omnibus in 3. d. 4. & 7. & 3. p. q. 35. a. 4. ac peculiaribus tractatibus ea docere, ac de incarnat. & vita Christi. Videantur nostri, B. Canisius de B. Virgine, Franciscus Turrian. lib. 3. de Themate eodem. Ut autem diximus, nisi verè sit, ac dicatur Deus, homo, quem Virgo genuit & peperit, nullatenus ipsa Dei genitrix Mater ac Deipara dici poterit: quare veritas communicationis idiomatum in veritate Mariæ Dei Maternitatis definita procul dubio est.

## CERTAMEN II.

*Communicatio idiomatum in Christo, etiam quoad reliqua prædicata de fide est.*

1. Dicendum in præsentis q. secundo est: quoad attributa etiam, & contingentia utriusque naturæ Christi, communicationem idiomatum de fide esse. In Scholastici omnes ad citata loca Magistris, & S. Thomæ. Solus Bernal proxime sect. 4. §. 2. num. 102. versu *Prior assertio*, & num. 104. versu *Posterior assertio*, eam conclusionem limitat ad ea contingentia prædicata naturæ diuine, quæ, si de homine prædicentur, non denotent ipsum naturæ, vel duratione præexistisse, antequam ea ipsi competere: si enim eam denotent prioritatem, in illis communicationem idiomatum iudicat non futuram: ut in his patet *Deus est homo: factus est creatura*: quæ verè dicuntur; non tamen dicere licet statim *Homo factus est Deus: factus est Creator*. Posset autem eodem iure limitare conclusionem ad ea etiam prædicata alterius naturæ, quæ non conceperunt munus aliquod naturæ alterius, quod alteri, si absolute, siue de facto sit impossibile. v. g. *Deus sustentat humanitatem*; non tamen licet dicere *homo sustentat Deitatem*. Item *homo incipit esse*. Dicit autem nequit: *Deus incipit esse*. Verum nemo non videat eas propositiones adductas in exemplum à Bernale, ut ostendat communicationem idiomatum non currere, ad idiomatum communicationem minime pertinere. Siquidem in secundis non est idem prædicatum, atque in primis. Haberent autem idem prædicatum hoc modo, *Homo factus est homo, & creatura*. Atque in P P P P nostris

nostris homo sustentat humanitatem : Deus incipit esse. Quæ accepto homine, & Deo adiectivè, vt ad idiomatum communicationem opas est, æque sunt veræ tres priores ; quarta verò posterior de inceptio tam de homine, quam de Deo adiectivè sumptis est falsa ; quare vniuersim sumpta conclusio defendenda Catholicis Doctoribus est.

2. Probatur conclusio Syllogismo expofitorio, fundato in illo Dialectico principio per se noto, quidquid verè dicitur de prædicato, verè etiam dicitur de subiecto, de quo dicitur illud prædicatum : si ergo verè dicitur Deus de homine, & homo de Deo, de homine verè dicentur, quæcunque de Deo dicantur verè, & de Deo quæcunque dicantur de homine, v. g. *Deus est omnipotens, omniscius, æternus, immensus : hic homo, Iesus, est Deus : ergo hic homo est omnipotens, omniscius, &c.* item in prædicatis diuinis personalibus *Verbum est filius, & imago Dei Patris, spiratque cum eo Spiritum sanctum : Hic homo est Verbum : ergo hic homo est filius, & imago Dei Patris.* Denique in contingentibus prædicatis : *Deus sustentat humanitatem, hic homo Deus est : ergo hic homo sustentat humanitatem.* Rursus *Hic homo est passus, mortuus, visibilis, &c. Deus est hic homo : Deus est passus, mortuus, visibilis, &c.* Sed hæc ratio solum probat contra fidem errare, qui communicationem idiomatum, quoad attributalia, & contingentia neget : Cum ex communicatione idiomatum, quoad essentialia, illam, quoad attributalia euidenti discursu deducat : quod fati non est, vt communicatio hæc, quoad attributalia, & contingentia de fide esse probetur, vt in conclusione erat propositum. Non enim quidquid ex propositionibus de fide euidenti discursu colligitur, de fide est, nisi in propositione de fide sub terminis eisdem tanquam particulare vniuersali contineatur, vt multis ostendebamus controu. de fide : quare, licet argumento præfacto veritas communicationis idiomatum, quoad attributalia, & contingentia euincatur : de fide esse aliunde probandum est.

3. Primo autem probatur ex Baruch. 4. vbi de Deo Verbo Dei filio de se inuisibili dicitur : *Post hac in terris visus est*, quod quæ homo, siue secundum naturam humanam contingit. secundo : attributa Dei propria de Iesu homine prædicantur in scriptura. *Æternitas quidem Ioan. 9. Prius quam Abraham feret ego sum.* Gloriæ dominium 1. Corinth. 2. *si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* vbi Iesus Dominus gloriæ, & Dominus gloriæ, qui Deus est, crucifixus dicitur : mutua nimirum prædicatorum alterius naturæ de altera prædicatione Ioan. 3. num. 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.* Quibus consonant illa ad Ephes. 4. *qui descendit, ipse est qui ascendit.* vbi ascensio in caelum humanitatis propria de eo, qui descendit de caelo per carnis assumptionem, quæ Dei propria est, prædicatur. Definitur eadem veritas à Concilio Alex. epistola ad Nestorium Cyrilli 10. anathematismo 4. atque ab Ephesino tam approbante, & canone 4. à Synodo 6. gener. act. 11. & 18. à Chalcedonensi act. 1. vbi citatur Naz. à Lateranensi sub Martino 1. consultat. 5. can. 4. & 16. à Leone 11. epist. 10. cap. 4. & 5. epist. 11. epist. 83. ab Agathone 1. epist. ad Anthimum à Concilio Francford. epist. ad Episcopos Hispan. circa med. atque ab vtroque Symbolo, & Apostolico, & Niceno : vbi Dei Filius passus, crucifixus, mortuus, sepultus, &c. dicitur.

4. Acciunt Patres omnes, August. 1. de Trinit. à cap. 5. præcipuè 13. Ambros. 2. de fide cap. 4. Fulgent. 3. ad Trasimund. à cap. 12. de fide ad Petr. cap. 2. Cyril. de recta fide ad Theodof. imper. & 12. Thefaur. cap. 15. Naz. orat. 5. 1. 52. & 42. (in quam Nizet. ad id quæ quoniam) 3. thesau. cap. 26. & 33. Damascen. 3. de fide c. 4. dicens : *qua ratione ( communicationis idiomatum ) de Christo dicere nobis licet : hic Deus noster in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est : & hic homo increa-*

tus est, & impassibilis, ac circumscriptionibus omnino exemptus est ipso transcriptisse videtur Nizetas. 3. Thefaur. cap. 33. Denique celeberrimæ, ac frequentes apud Patres sunt propositiones plures de Christo prædicatum, specie tenus sibi inuicem repugnantium & contradicentium. Cuiusmodi sunt : *est mortalis & immortalis : passibilis & impassibilis, creator, & creatura : temporalis & æternus.* Quarum nullam, monet rectè Valquez, per oppositas contradictoriè explicari licere, vt malè vertebat interpres Damasceni, quia negatio malignantis naturæ. Non tamen est opus Catholicis, cum opposita prædicata de Christo enuntiantur naturæ designare prædicata secundum, vel quatenus, licet clarum id esset indoctis : ac proinde bonum de eo consilium dederit. S. Th. q. 16. art. 8. ad 2.

At Dices. Prædicata propria partium sibi repugnantia nequeunt sine eiusmodi additis enuntari de toto, v. g. de homine corporeo nequit dici esse incorporeum absolute, ac sine addito, secundum animam : ergo nec de Christo. Nego consequentiam. Nam, neque partes prædicantur de toto, sicut naturæ de supposito communi : de toto autem prædicantur prædicata ipsius solum, licet similia nonnulla ignobiliora prædicentur de parte ignobiliori ; non autem prædicantur prædicata totalia nobiliora, siue prædicatis partibus nobilioris similia : quia bonum ex integra causa esse debet ; malum autem ex quocumque defectu.

## QVÆSTIO II.

Possetne idiomatum communicatio abstractis nominibus exerceri ?

Concretis nominibus exerceri posse idiomatum communicationem circa dubium est : imò, & de fide, vt fati ostendunt Scripturæ Conciliorum, & Patrum citatorum testimonia : quare de abstractis solum nominibus potest esse quæstio, an prædicationibus per idiomatum communicationem inferre possint ?

## CERTAMEN I.

Abstracta vnius naturæ de abstractis alterius nequeunt, per idiomatum ad hunc communicationem prædicari.

1. Eutythiani naturarum confusionem admittentes, alteram de altera cum suis proprietatibus vicissim nominibus abstractis, per idiomatum communicationem enuntiare posse docuerunt, ad prædictum errorem confectariè, vt putabant. Sed in horum errore mutam prædicationem vnius naturæ, ac suarum proprietatum de alia non posse consistere, quare neque communicationem idiomatum stare censent Etenim, cum alteram naturam in alteram conuerfam vi vniuersi hypostaticæ fateantur, nunquam vtraque simul existit : quandoquidem, quæ conuersa per vniuersum est, non solum illa, in quam conuertitur non est, sed neque simul existit vnquam cum illa. Quod si dicant ex eis aliqui, non esse alteram in alteram conuerfam, sed mixture vtriusque vtramque esse confusam. Contra est, quia substantiæ elementares in tertia mixta ex ipsis non perseverant : quare, neque in Christo vtraque natura, quæ in tertiã mixtam abiit : ergo nulla ex eis in Christo erit altera : cum neutra in se sit in illo. Denique in hac Eutythiana confusione, vel conuersione, vel mixture vna indiuidua solam naturam esse, ne duplex sit persona, siue diuina ea sit, siue humana, hæc

siue tertia: ergo non est altera, & altera natura, quæ in abstracto cum suis proprietatibus de altera in abstracto prædicatur: imo neque in concreto: quare Eutychniana hæresis non solum ad communicationem idiomatum nominibus abstractis non conducit, sed omnem potius idiomatum communicationem Catholicam nominibus concretis abolet profusus.

2 Eandem idiomatum communicationem nominibus abstractis admittit Lutherus apud Vvadingo d. 13. dub. 2. §. 1. num. 5. ubi hæc Lutheri propositio refertur *Humanitas est Deus*, cuius rationem nullam adhibet: cum Eutychnianam confusionem, vel conuersionem non admittat. Eam tamen exhibuisse videntur ipsius discipuli Brentius, & Smidelinus Vbiq̄istarum hæreticorum auctores: qui, vt suam de reali presentia Christi in Eucharistia, & vbiq̄e loci doctrinam statuerent, ferè ad Eutychnianos migrarunt. Afferuere namque vniõnis hypostaticæ factam nescio quam naturam vniõnis in aliam immeationem mutam, qua, & natura diuina, eiusque proprietates, formaliter etiam, in humana deriuent, & humana natura, eiusque proprietates traducantur, formaliter etiam, in diuinam: ac proinde humanitas sit verè, & formaliter *Deus, omnia, immensa, vbiq̄e*, &c. & licet è contra exemplum non adhibuerint, quod Vbiq̄istini, sui parum referret) Deitas sit formaliter *homo, mortalis, passibilis*, &c. Verum fundamentum hoc Vbiq̄istarum discipulorum satis controu. 4. d. 3. q. 4. cert. 2. & quidem, si Lutheri, & Discipulorum propositiones spectes, solum videntur communicationem idiomatum per abstracta non vtrinque posita admittere, sed ex parte alterius tantum extremi propositionis, prædicati nimirum, vel etiam subiecti: si autem discipulorum rationem de vniõnis natura immeatione formali in aliam, per abstracta etiam vtrinque posita, videntur communicationem idiomatum in Christo admissuri.

3 Dicendum contra hosce est: communicationem idiomatum per nomina abstracta vtrinque in propositione posita nusquam esse posse. Est conclusio Catholica à nullo Catholico Doctore negata, sed ab omnibus, qui præsentem quaestionem versarunt, admissa. Probatur primo efficaciter autoritate, licet negatiua: quia neque in Scriptura, Apostolica traditione, Conciliis, Patribus, Catholicis Doctores Theologis, & expositiuis, aut Controuersistis vlla adhuc propositio extitit, vel extat, vel autoritas, qua, vel specie tenus altera natura Christi, eiusve proprietates abstractis nominibus, de altera, eiusve proprietatibus abstractis nominibus prædicentur: si illam producito, si potes: ergo in re momenti tanti abstinendum est Catholicis omnibus à communicatione idiomatum per nomina vtrinque abstracta. Imò id esse impossibile probatur secundo ratione S. Th. dicentis: concretis nominibus fieri idiomatum communicationem: quia hæc sola possunt pro persona supponere, in quibus hæc continetur ratio. Ad veram prædicationem rectum subiecti, & prædicati debet re esse idem, sicut per copulam est & significatur: at solis nominibus concretis naturarum, non autem abstractis rectum prædicatum est idem cum recto significato subiecti: ergo solis nominibus concretis, non autem abstractis potest altera natura, de altera prædicari: ac proinde, & fieri vera, & recta communicatio idiomatum. Probatur minor: quia in Christo persona habens humanitatem eadem est habens Deitatem significatque in recto nominibus concretis Deus & homo adiectiue sumptis, vt possunt, dicentisque q. 3. idem est: at verò humanitas, & diuinitas, earumque proprietates abstractis nominibus significatæ non sunt in Christo idem secundum rectum significatum, vt patet. Tertio probant conclusionem hanc ea omnia, quæ iam pro secunda, contra quam aliquid est, & discursu, & ab autoritate saltem apparentis præsidij.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

CERTAMEN II.

Neque per abstractum ex parte alterius tantum exire potest esse idiomatum communicatio.

1 Dicendum secundo est: idiomatum vtriusque nature Christi communicationem non posse fieri nominibus earum, vel proprietatum alterutrius abstractis adhuc ex parte vniõnis extremi propositionum positis. Est etiam Catholicorum omnium conclusio: quam probant æquæ efficacitate, ac præcedentem vtraque ratio, & à priori, & ab auctoritate negatiua: licet contra hanc paucula quædam sint; quoad speciem aduerlantia testimonia, quibus statim faciemus satis. Probatur tertio expresso testimonio Nizetæ: 3. Thesaur. cap. 58. num. 13. sine in hæc scribentis. *Verum aduertendum est, quamuis aliquando dicamus Deum hominem; & aliquando Deum; diuinitatem tamen hominem, aut humanitatem Deum nos nunquam dicere. Quid precor pro conclusione clarius dici, vel excogitari potuit illustrius? Ratio autem fere eadem est atque pro conclusione 1. Etenim cum dicimus, Deitas est homo; vel contra humanitas est Deus: vel usurpatur concretum substantiuum quod ponitur ex parte alterius, extremi substantiue, vel adiectiue: si substantiue rectum illius significatum est natura v. g. humanitas cum homo adhibetur: quæ nullatenus est re ipsa Deitas: si usurpatur adiectiue v. g. Deus rectum significatum est persona diuina, quæ nullatenus est humanitas.*

2 At dices homo adiectiue sumptus in recto dicit personam Verbi, quæ Deitas re ipsa est: ergo poterit sic sumptus homo dici Deus. Probatur consequentia hoc syllogismo expositorio: *Verbum est homo: Deitas est Verbum: ergo Deitas est homo, atque homo Deitas*, vel à negatione consequentis ad negationem antecedentis *Deitas non est homo: Verbum est Deitas: ergo Verbum non est homo*. Hoc argumento Fulgentius responsione 2. ad Ferrandum probabat hanc propositionem *Deitas est passus*, quia *Deitas est Deus*. Quam propositionem tradunt Sophronius, alique Patres, & Concilia, quos recitauimus controu. 1. d. 1. dabimisque d. 2. ac demum Ecclēsia canit, *Mors mortua nunc est in ligno, quando mortua vita, id est Deitas, fuit*. Respondeo negandò consequentiam vtriusque syllogismi: quia variatur suppositio terminorum. Nam in maiori concreta usurpantur adiectiue, & formaliter, in minori substantiue, & identicè: quæ malè inferitur, & improprie in sensu pure identico, quæ debebat esse formalis. Ob similem defectum malè inferitur: *Pater generat: Deitas est Pater: ergo Deitas generat*. Licet hic syllogismus alijm habeat defectum maiorem notatum à nobis controu. de Trinit. In præsentibus autem syllogismis is defectus satis est: nam propositiones communicationis idiomatum formales esse debent, quatenus persona diuina sub formalitate, & munere habendi naturam significatur, quod non habet Deitas: quare, & illatio Fulgentij, & præfate locutiones minus propria sunt.

3 Instabis rursus: quia de Deitate dicitur assumptæ humanitatem, vt Patres, & Concilia recitata controu. 1. d. 1. passim loquuntur, Sophronius citata epist. Fulgentius ad 2. q. Ferrandi: quare hæc propositio *diuinitas assumpsit humanitatem* admittitur à S. Th. q. 3. art. 2. & à Magistro in 3. d. 3. eorumque interpretibus non paucis: quod quidem prædicatum concretum est, idemque valet, ac est, vel fuit assumens humanitatem: quod primario dictum est de persona assumente, ac iure identitatis de Deitate in abstracto dicitur: ergo eodem iure identitatis communicatio idiomatum quandoque inter concreta & abstracta naturarum poterit fieri. Respondet Soar, illud *assumpsit* in ea propositione solum significare formaliter vniõnem, ratio-

De cuius eiusdem suppositi est cum natura humana: atque eo sensu veram esse, atque à Theologis receptam, non autem significare assumptionem propriam Verbi, siue sustentationem suppositivalem, quam Deitas non præstat, sed persona: quare in eo sensu falsa esset propositio, neque ab illo Theologo recipienda, quod si velis naturam diuinam, eiusque proprietates in abstracto ex parte vnus extremi in abstracto poni ob rationes & locutiones Patrum datas, dummodo minus proprias eas propositiones fatearis, non multum grauior; neque tamen inde humanam in abstracto poni posse deduces: cum eius nisi in hæreticis exemplum non sit, neque id rationes, & syllogismi oppositi, similesue alij conuincant.

\*\*\*

### QVÆSTIO III.

*De ratione Theologica proprie, & vera communicationis idiomatum per nomina concreta.*

**V**ariis vera & propria idiomatum per concreta nomina communicatio certa ad eam & Catholica sit: Theologica tamen eius veritatis ratio deo constans atque in aperto omnibus non est, vt exactum questionis huius examen non requirat.

### CERTAMEN I.

*Aliquorum rationes confutatae.*

**I**acet Patres idiomatum per concreta nomina communicationem, cuiusque rationem tradiderunt: quia tamen suam, quantum satis nostræ tarditati esset, mentem non aperuerunt, Scholasticos Doctores aliter, atque aliter opinari fecere. Fulg. 3 Ad Trasimund. c. 12. & 13. ait: *Hominem susceptum merito Deum appellari, quia susceptus est.* Damascen. 3. de fide c. 4. sine. *Atque hic communicationis modus est: vtraque videlicet natura proprietates suas cum altera communicante: Propterea, quod vnā, & eandem personam constituat.* Leo Pa. Epist. 83. ad Palestin. *Non interest, ex qua substantia nominetur: cum inseparabiliter manente unitate persone idem sit, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnā cum Patre Deitatem.* Hæc tamen, & similia rationem formalem Theologicam non satis explicant, sed solum fundamentalem. Hæretici antiquiores, & vbiq; istæ, vel vtriusque naturæ confusionem Eutychnam, vel alterius naturæ in alteram formalem immetationem rationem communicationis idiomatum arbitrantur. Vtrosque autem impugnauimus assatim controu. 1. d. 1. atque hic. q. 2. Veteres Scholastici apud S. Bonau. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. & apud Scot. q. 1. §. Tertio videndum, dixerunt huius propositionis *Deus est homo, sensum esse Deus est ille, qui est homo, vel suppositum, quod est homo.* Sed extremum propositionis, qua prima explicatur æquā indiget explanatione: nempe illud, *qui est homo, & quod est homo:* quare, nec ratio, neque explicatio ab his Doctoribus pro idiomatum communicatione præstatur.

2 Solum ergo ex modo significandi nominum concretorum Theologica formalis ratio petenda ab Scholasticis omnibus indicatur. Primo veteres alij apud S. Bonau. citato loco aiunt rationem esse quia significatum nominis in obliquo ponitur, vt eius propositionis *Deus est homo, sit sensus: Deus est habens hominem* impugnantur male communiter: quia non, quidquid habet, aliquis prædicari de illo potest: neque enim di-

citur quis esse manus, vel vestis, quas habet: verum si homo in explicatione positus vsurpetur pro natura humana, vt rigida Significatione vsurpari potest ostendimus. d. 2. vera, & communis sententia est: nobis explicanda cert. 2. sin verò pro persona homo vsurpetur, fortius impugnari debent: quia sic Deus hominem concretè, neque assumptit, neque habet, sed est per fidem. Secundo: S. Bonau. veteresque alij apud Richard. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. dicebant, ratione vnus vnusque naturæ in eodem supposito eas propositiones veras esse. Impugnantur malè à Ricardo eodem argumentò, quo primi. Etenim nemo Catholicus rationem hanc potest respuere: siquidem ratio naturarum in supposito eodem in causa est cur mutuo altera de altera concretis nominibus prædicetur. Solum ergo impugnantur rectè, quia rationem proximam Scholasticam, quam inquirebant, non assignant, sed fundamentalem, & remotam, & quæ, nisi amplius explicetur, rem relinquit obcuram. Non enim quicumque eidem supposito vniuntur inter se mutuo, omnibus modis prædicantur: quare explicare rectè quo modo & ratione duplex hæc natura ratione vnus in eodem supposito vnicem prædicari rectè queant.

3 Nec satis est Quod pro hac opinione addit Vasquez d. 63. c. 4. num. 26. quia nimirum natura quæ in supposito in quo est concretè prædicatur rite ac rectè v. g. *Petrus est homo:* cum autem vtraque natura ratione vnus in eodem supposito sit, rite, ac rectè de eodem supposito prædicatur, quare, & vtraque concretè mutuo de se bene prædicabitur, vt syllogismo expository conuincitur: in quam tandem rationem & sententiam Vasquez iuit nonnullis notatis, quæ statim ex ipso referemus. Verùm, neque hæc explicatio rationem assignat proximam, quam inquirimus, remue magis explicat, neque cum ipsius doctrina constat. Non quidem rem magis explicat: Nam cum dicit naturam prædicari de supposito, in quo est concrete, vel intelligit naturam propriam, vel alienam. Propriam quidem nemo negat, idque solum probat exemplum illud *Petrus est homo:* de aliena verò, de qua sola est difficultas præsens, non probat, nisi ratio aliqua, ob quam natura propria de supposito, in quo est, rite prædicetur, asseratur, quæ eodem inueniatur in natura aliena: Hanc enim inquirimus, atque addita explicatio non assignat. Quod autem cum ipsius Doctrina non confert, neque exemplum rationem continet ad prædicationes naturæ alienæ de supposito, quæ in communicatione idiomatum intercedunt, facile probabitur, & quod Doctrina inconstantiam num. 4. & quoad secundum in præsens. Ipse enim num. 25. ex notatis num. 23. docet concepta substantia substantia natura solum significare in recto naturam, nisi aliquid personale ex parte alterius extremi in propositione inueniatur: (ex quo malè contra ipsum infert Bernal hanc propositionem esse falsam: *homo est suppositum:* cum prædicatur eius personale sit) atqui in propositione, qua natura propria prædicatur de supposito. v. g. *Petrus est homo:* subiectum est terminus, seu nomen personale: ergo significabit in recto prædicatum suppositum: & in his *Deus est homo* significabit in recto vterque terminus naturam: ac proinde poterit esse falsa vtraque, licet alia sit vera: quæ falsa procul dubio foret, si homo significaret in recto naturam, vt iam iam euincam.

4 Vasquez igitur citato loco, atque ex illo Recentiores plures volunt concreta substantia substantia natura in propositionibus communicationis idiomatum significare solum in recto naturas, in obliquo verò personalitates, vel quia iuxta Vasquij Doctrinam in eis nullus terminus, vel Synecdogorema personale adest, vel quia eo solum pacto significare sunt apta, vt ex eis volunt nonnulli. Alij apud Bernal d. 43. sect. 2. §. 2. num. 23. docent eiusmodi concreta sibi, atque

stataque lege utrumque in recto significare. Coniunxi utramque sententiam, quia eadem aperta impugnatione rejicitur. Etenim iuxta alteram vera idiomatum communicatio in Christo funditus evertitur. Sic ostendo. Ad veram prædicationem requiritur idemtitas subiecti, & prædicati secundum rectum utriusque significatum, cum quo copula est, quæ eiusmodi idemtitatem utriusque significat, concordat, non cum obliquo significato: atqui in neutra harum opinionum rectum subiecti propositionum communicationis idiomatum potest esse idem cum recto prædicati: ergo propositiones communicationis idiomatum in neutra harum opinionum nequeunt esse veræ, sed sunt necessario falsæ: quare communicatio idiomatum funditus, ut assumebamus evertitur. Minor probatur: quia in hac propositione communicationis idiomatum *Deus est homo*, & similibus, iuxta alteram Vasquez sententiam, idem est, atque Deitas in, siue cum personalitate est humanitas cum personalitate, in altera verò Recentiorum, Deitas & personalitas est humanitas, & personalitas: ergo in altera rectum subiecti & prædicati cum quo in his propositionibus copula est, concordat, est humanitas, & Deitas, in altera verò Deitas, & personalitas, & humanitas, & personalitas: atqui neque Deitas idem quod humanitas, neque Deitas, & personalitas, idem quod humanitas, & personalitas esse possunt: ergo in neutra harum opinionum rectum subiecti propositionum communicationis idiomatum potest esse idem cum recto prædicati. Et quidem hoc argumento soluto, vel potius delecto, nil est cur communicationem idiomatum per abstracta nomina tantopere Theologi exhorreamus.

Denique germana communicationis idiomatum proximaque & formalis ratio, quæ mihi à logico semper arrisit ea est: quod scilicet in eis propositionibus concreta, per quæ fiunt, in recto dicant personas, siue personalitates, in obliquo verò naturas, atque adiectivè significant: ac proinde rectum prædicati, & subiecti sit in eis omnibus idemtitas, ut sic explicandi concreti earum termini sint *Deus est homo habens Deitatem, est habens humanitatem*. Sic docuere Ricard. in 3. d. 7. a. 1. q. 1. corp. & ad 1. & 2. Gabr. q. vn. a. 3. dub. 1. sub fin. Almain. q. 1. dubitatione post 7. concl. soar. d. 35. sect. 1. §. dico ergo tertio circa med. satis clarè, licet Bernal curè illum, vel intelligat, vel referat, ut impugnet, Lugo d. 16. sect. 13. VVadingo d. 13. dub. 1. num. 1. à medio, & dub. 2. num. 23. ac tandem Bernal vbi proximè: licet doctores hos impugnet. 16. quasi asserant concreta substantia substantia natura semper ac de lege sua ita significare: id quod solus Lugo videtur solutione quadam insinuassee, sic etiam docuit S. Th. 3. p. q. 39. a. 4. docens eiusmodi concreta supponi interdum pro suppositis, id quod docuerat q. 16. a. 7. & 10. quod autem eodem a. 7. ad 4. & a. 10. ad 2. dixerit copereita eiusmodi in his propositionibus ex parte subiecti supponi materialiter pro suppositis, ex parte verò prædicati formaliter pro naturis huic doctrinæ non aduersatur. solùm enim vult non esse propositiones, & prædicationes hæc purè idemtiticas, ut hæc *Petrus est Petrus*. Sic Thomista plures eum interpretantur, & sequuntur apud Vasquez num. 2. 1.

CERTAMEN II.

Sententia hæc suadet, ac propugnatur.

1 Probatur primo ex Damasceno 3. de fide c. 4. vbi hæc de re agens dixit: *illud itaque advertendum est, quod divinitatis, atque humanitatis vox essentia, seu natura indicat: ac Dei, & hominis vocabulum, tum de natura usurpatur: quemadmodum, cum dicimus: Deus est substantia capsum omnem suscipiens: & unus est Deus:*

tum etiam de personis, nimirum, de eo, quod specialius est generalioris nomen suscipientes: ut cum Scriptura ait: *Propterea unxit te Deus Deus tuus*: sique memor cap. 11. eandem differentiam vocis abstractæ à concreta assignans ait: *At Dei vocabulum, & natura communiter significat: & in unaquaque persona æque collocatur: quemadmodum, & homo*. Deus enim is est, qui natura divina præditus est, & homo, qui humana. Eadem ferè habet Nizetas 3. Thefeu. c. 16. Quibus testimoniis, postremo præsertim, non respondet Vasquez num. 24. §. ad Damascenum. Neque 1. p. t. 2. d. 157. c. 6. num. 33. §. verum contra hanc doctrinam. Sed tamen, licet bene hæc, & ex Patribus dicantur, quare & ab auctoritate satis sint superque fundata, adhuc explicare oportet, quando adiectivè, siue pro habente naturam, & supposito, vel personalitate in recto significant, atque in obliquo naturam substantia concreta substantia natura, quæ de se naturam potius in recto significant, ut q. 1. pro Durando, atque alias sæpe in hac materia, & controu. de Trinit. ostendebamus. si enim id per generales regulas tradatur, eis ad præsentem materiam applicitis sententia hæc planior erit, & illustrior.

2 Norandum igitur est concreta substantia substantialis natura de se, suæque natura, & pro priori ac natia significatione substantiæ & naturam in recto significare: quare ita significare cum absolute, ac nudè proferantur: at verò sine vilo etiam syncategoremate, vel signo personali ex adiuncto subiecto, vel prædicato, vel verbo posse adiectivè usurpari, atque personam, seu personalitatem in recto, & naturam in obliquo significare, ut ostendimus controu. de Trinit. d. 12. q. 1. cert. 3. Probatur ex dictis ibi, & in Logica: quemadmodum enim vox *homo* natura sua significat humanitatem, vel suppositum abstractè, & præcisè ab individuis, ac proinde nude prolata, vel adiuncto etiam essentiali prædicato idem eodem modo significat, atque pro eodem supponitur: at verò ex adiuncto prædicato, aut verbo, quo exercitium aliquod primario, & per se individuis competens, & ratione illorum natura, vel supposito in communi, hominem non in abstracto significat, neque pro illo supponitur, sed pro individuis, quæ significat iuxta prædicati aut verbi exigentiam, etiam si nullum aliud signum intercedat: unde ex verbo *currit* in hac propositione *homo currit* terminus *homo* non pro homine in communi, & præcisè, sed pro individuis determinatè supponitur: in hac verò *homo* requiritur ad videndum pro individuis confasè: Sic etiam voces *homo*, & *Deus*, licet de se substantiæ significant, & naturam in recto, ac per modum perstantis, cum absolute proferuntur, aut ex adiunctis terminis, vel verbis sine vilo etiam syncategoremate pro persona poterunt supponi, & adiectivè usurpari: cum ea etiam usurpatio, & significatio propria sit, quæ adiectivè, & in recto personam, significant iuxta Damascenum, imò, & aduersarios ipsos: cum Vasquez citato num. 23. §. *Mibi autem asserat ex adiuncto syncategoremate personali propriè significare in recto personam, ac pro ea supponi defendat, ut in hæc Deus generat.*

3 Regula igitur generalis sit. Tunc ea nomina adiectivè usurpari, cum aliter Scripturæ, Patrum, & Conciliorum propositiones verificari nequeunt. Cum enim ad dignoscendum determinatum sensum, & significationem, in qua voces ambigunt acceptionis, & sensus, eiusmodi ea concreta sunt, attendenda in primis sit doctrina, pietas, veracitasque loquentis, iuxta vulgatam Theologorum regulam à nobis traditam d. 12. de Trinit. q. 1. cert. 3. num. 1. id potiori iure Patrum doctrinæ, veritati, ac veracitati, & Scripturæ in primis deferre debemus: ut eo sensu, & acceptione propria loqui, & usurpare voces credamus, quo vera loqui demonstretur: atque insuper Patres, ac Deum, nec falli, nec fallere liquido appareat. Confirmatur: quia hæc solam ratione probare potest Vasquez



ex Syncategoremate adiuncto vocem *Deus* supponi pro persona; atque adiectiue vsurpari pro habente Deitatem. Probatu secundò eadem regula: quia hoc, quod est Deum esse hominem, nequit contingere concreto substantiuo substantiue significanti, sicuti, neque homini abstracto, & præciso currere, sed solùm significanti adiectiue: ergo, sicut ibi ex adianctione cursus *homo* supponitur pro indiuiduis, non pro natura, vel homine præciso, quod de se significat, ita, vt ex adianctione prædicati, quod, nisi acceptatione eius adiectiua, nequit subiecto euenire, ita & in nostro casu significabit adiectiue. Tam verò, nisi acceptatione adiectiua terminorum propositiones communicationis idiomatum veras esse non posse, neque prædicatum conuenire subiecto, probatum est: quia acceptatione substantiua naturæ significantur in recto, quæ idem nequeunt esse, sicut enuntiantur per copulam est, quæ cum recto terminorum concordat, vt vidimus cert. 1. num. 4. acceptio vero adiectiua idem est rectum significatum eorum, vt ostendimus num. 5. sub init.

4 Opponit Vasquez Fulgentium 3. ad Trasimund. cap. 12. & 13. vbi dicebat *hominem susceptum merito appellari Deum*, quia susceptus est: at homo susceptus non est habens humanitatem, seu adiectiue sumptus, sed substantiue, siue dicens humanitatem in recto: humanitas enim suscepta est. Respondetur facillè Fulgentium non formalem, sed fundamentalem rationem solùm communicationis idiomatum eis verbis tradidisse, vt dicebamus cert. 1. num. 1. alioqui contra ipsum Vasquez obiectantem æque loqueretur, imo contra Catholicos omnes. Nam homo susceptus à Deo non dicitur, nec dici Deus potest, secundum id formaliter, secundum quod susceptus est: sola quippe humanitas, siue homo secundum illam præcisè susceptus est: at homo secundum humanitatem, siue sola humanitas in nulla Catholicorum sententia dicitur Deus, nec nisi falso dici potest; sed homo concretè sumptus, vt coniunctum ex humanitate, & subsistentia diuina, siue hæc cum subsistentia in recto dicat, siue solum in recto, alteram dicat, alteram in obliquo: quo pacto accepto homine à Deo assumptum minime fuisse, sed prout solam humanitatem significat, Catholicum & dogmaticum per Vasquez, & Doctores omnes est.

5 Obicit secundò: quia ex Concilio Francford. *Christus est nomen naturæ non personæ*: atqui Christus dicitur Deus, & homo: ergo concretum huius naturæ de concreto alterius prædicatur: ergo altera natura in recto de altera, non suppositum. Nego hanc vltimam consequentiam, quæ nullatenus inferitur ex prima: licet enim concreta naturarum sint, possunt tamen significare in recto personalitatem, siue personam, etiam in obiectantis Vasquez doctrina: sicut plura nomina à formis desumpta illas in obliquo & in recto subiecta significant, vt in adiectiuis omnibus euenit Albus &c. quod significat habens albedinem.

Instat Vasquez ex eodem Concilio. *illud Hic est filius meus dilectus* referri ad hominem, seu naturam humanam in Christo, non ad personam. Sed minus vrget: nam prædicatum, quod hic contenditur filiationis humanitatis à Concilio, non est communicationis idiomatum, teste Vasquez ipso, quod concedebant Felix, & Elipandus, contra quos ibi Concilium, sed humanitatis ipsius etiam secundum se, ac non in concreto significata, vt vidimus controu. 4. d. 1. quia, si solè idiomatum communicatio in ea propositione contineretur suppositum significaretur, atque adiectiue homo significaret contra ipsum Vasquez ex ipsius doctrina citato n. 23. siquidem filius Dei Syncategorema personale est, quod proinde concretum homo personam in recto, siue habentem humanitatem significare efficeret, iuxta regulam ipsius eo numero contentam.

## CERTAMEN III.

*Argumento à ratione fit. suis.*

1 Difficilius è ratione arguebat Vasquez 1. p. d. 157. quia, si concreta substantiua naturæ adiectiue significant, ac proinde Deus tantumdem valeat, atque habens Deitatem sicut Pater est vnus habens Deitatem, & filius alius habens Deitatem, & Spiritus sanctus alius habens Deitatem, ita tres Dei admittendi contra fidem erunt. Quo argumento actum de hac opinione iudicat Bernal d. 45. lect. 2. §. 2. num. 16. sine, oblitus suam etiam tandem esse, vt dicebamus cert. 1. num. 5. medio. Quare, & eum æque ac nos impugnat. Nec segenius Vasquez ipsum: cum ex parte subiecti illi propositionibus antecedentes sint syncategoremata personalia v.g. *Pater est Deus, filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus*: ac proinde adiectiue, & personas in recto tres, habentes Deitatem debeant in eius doctrina significare. Respondet Bernal num. 21. & 23. ex d. 24. lect. 2. §. 2. 3. & 4. concreta essentialia substantiua naturæ semper vsurpari substantiue, diciturque in recto compositum, vel quasi ex natura, & personalitate. Etenim, & contradicit suæ doctrine de acceptatione eorum nominum adiectiua in communicatione idiomatum, & est fortius ex ea doctrina argumentum. Etenim, si vtrumque dicitur in recto, sicut Pater personalitas, & natura, & vterque à Deo Spiritu sancto conuincuntur: quare, & tres dii substantiue contra fidem. Si autem dicitur in recto totum compositum personæ, & in obliquo naturam, idem inferitur. Licet enim natura expressè dicatur nomine Deus: cum recta, quibus numeralia concordant tria sint, & tres dii non obstante naturæ singularitate dicantur.

2 Respondet Lugo, proximè subsistentiam, in recto quidem dici, sed confusè, naturam verò clarè & expressè: concreta vero penes expressi solum multiplicationem, quæ in Deitate non est, multiplicari: quare non inferri tres esse Deos, ex eo, quod tres esse Deum dicantur. Impugnat bene Bernal: quia Deus adiectiue, siue habentem Deitatem significans legibus adiectiuorum accidentalium stare debet, quæ in ea acceptatione imitator, atqui in his multiplicitas, vel vnitatis non sumitur à forma accidentalibus, expressèque significata in obliquo, sed à subiecto, vt patet in albo, licet non clarè, sed confusè subiectum significetur: ergo, licet confusè dicatur, ac non expressè suppositum nomine Deus, Deitas autem clarè ex illius multiplicitate, vel vnitatis eius vnitas, vel multiplicitas sumenda est, non è naturæ vnitate, vel multiplicitate. Confirmatur: quia, licet ars expressè dicatur in hoc nomine artifex, & confusè artis suppositum & subiectum, licet artes plures etiam specie sint, si tamen hoc sit vnum, vnus artifex dicitur: sic vero supposita, vel subiecta sint plura, licet ars eadem specie sit, imo, per impossibile, vna etiam indiuiduè, plures essent artifices. Rationem à priori dedimus contra ipsum Bernal proximè num. 1. sine: quia nomina numeralia eorum multipliciter designant in nominibus, quorum rectis significatis concordant: quare, si rectum eorum nominum significatum sit suppositum, pro eorum solum multiplicitate multiplicari dicentur, licet obliquum expressè significatum vnium, & singularissimum sit.

3 Respondetur ergo distinguendo consequens. Absolutè sunt tres dii nego consequentiam, quia absolute, & secundum se positum nomen Deus significat substantiue, cum addito personali v.g. *tres persone sunt*

tres *Dij*. Concedo consequentiam: quia ex addito hoc, vel alio ex dictis supra, quo denotetur adiectiue vsurpari, adiectiue significat. Vnde scriptura, quæ Dei substantiue dicti vnitatem tantoperè commendat, Deum sæpè adiectiue, & in plurali docuit pro personis, & habentibus Deitatem nomen illud vsurpans. Sic Genes. 10. Postquam eduxit me Deus, in Hebræa: *declinare me fecerunt Elohim*: id est *Dei* Genes. 35. Apparuit ei Deus: Hebræa. Apparuerunt Elohim: id est *Dei*: 2. Reg. 7. Inuit Deus, ut redimeret eam: iuerunt Elohim: id est *Dij*. Quibus, similibusque aliis locis nomen Deus pluraliter pro personis, & adiectiue positum esse, vt mysterium Trinitatis insinuaretur, docent interpretes, & scholastici plures, & grauiores, quos dedi controu. de Trinit. d. 12. q. 1. cert. 3. n. 2. refertque Ruiz de Trinit. d. 77. sect. 5. n. 1. ex quibus sunt *Elohim*, siue *Dei* nomen quoties cum vocibus numeri pluralis cõcordat, in Scriptura pro personis accipi, & significare adiectiue, & merito: quia aliter verè sic concordare nequit, ac prouide iuxta regulam à nobis datam cert. 2. ita accipiendum necessario est. Ij verò sunt Abulens. tract. de Trinit. Caiet. Genes. 1. Pererius d. 17. in Genes. Bellarmin. t. 1. lib. 2. de Christo c. 6. Vasquez 1. p. d. 108. c. 2. Magister in 1. d. 2. c. *Nunc verò*. Vbi s. Th. in expos. textus Carthus. q. 8. s. Bonau. an reliqui veteres, & commentatores 1. p. q. 39. a. 3. ad 2. Alex. q. 50. m. 2. ad 2. y. ra, Burgens in 1. Genes. vbi Eugubinus, &c. 20.

4. Videat nunc Vasquez, quàm per se notum, atque exploratum in scholis sit: quod si tres personæ eandem humanitatem assumerent, eas omnes vnum hominem esse fore dicendum: cum oppositum ex dictis certius adhuc concludatur. Etenim in vera enuntiatione homo non nisi adiectiue poterat vsurpari: cum substantiue in eius sententia præsertim, adhuc identica propositione, falsò de singulari, atque omnibus personis enuntiaretur: quia dicit homo substantiue acceptus humanitatem in recto, quæ idem esse nequit cum recto personarum assumendum: quod, sicut euenit, in nomine Deus, quod substantiue acceptum identica propositione de personis verè potest enuntiar: sicque Catholicè tres personæ vnum Deus dicuntur: quæ acceptio substantiua vulgarior cum sit, ne minus eruditi, relique scholastica ignari ad fidem offendant, extra scholas tres personæ vnum Deum non plures fateri debemus.

At dices; ergo Deus de homine, atque homo de Deo non prædicantur, sicut Deus de personis, & homo de Petro, quæ de eis prædicantur vniuocè, & vt quid essenziale, & intrinsecum: cum tamen Deus, de homine, & homo de Deo, vt quid accidentale prædicentur, cum adiectiue sumantur: ergo prædicantur æquiuocè, vt canis de latrabilis, & sydereo. Difficultas hæc est communis: est enim substantiue vsurpetur Deus essentialiter de homine, aut homo de Deo prædicari nequit. Respondet Vasquez admissio antecedenti negando consequentiam: quia est nouus modus prædicationis non agnitus ab Aristotele mysterij huius ignaro.

Impugnat Bernal: quia solum dicitur quomodo non prædicetur, non autem quomodo prædicetur. Sed, cum ipse in idem tandem recidat sect. 3. §. 3. d. 73. suæ etiam subiaceat impugnationi. Soar, q. 16. a. 1. *dicendum verò est primo*, contendit Deum de homine, & personis, ac hominem de verbo, seu Deo, & Petro vniuocè dici, sed nec rem probat, neque explicat difficultatem quæ in eo est, quod vniuocè æque iis, quibus vniuocè sunt, debeant conuenire.

Ceterum cum æquiuoca sint, quorum ratio significata omnino diuersa est, vniuocè verò, quorum ratio est omnino eadem, quasi contradictoriè æquiuocis opposita; analoga, quorum ratio, nec omnino eadem est, nec omnino diuersa, quod vtriusque contra dicit, nomen Deus respectu personarum diuinarum, & hominum, aliquo ex his modis dici debet, atque homo de

Deo, & Petro: quia non datur medium aliud: quare, licet Aristoteles, has prædicationes in particulari communicationis idiomatum non agnouerit, in illis tamen modis generalibus non potuit non illas comprehendere. Respondeo igitur in his prædicationibus, vt ea nomina accipiuntur, vniuocè dici Deum de homine, & tribus personis: quia adiectiue accipitur pro personis, quas in recto significat, quibus proculdubio eodem conuenit modo. Similiter homo vniuocè de Petro, & Deo prædicatur: quia solum eis conuenit de eisque dicitur, cum adiectiue sumitur homo sub ratione habentis humanitatem, in qua equeuenit Petrus, qui persona hominis est, & Verbum, quod humanitatem habet, & cum illa personam constituit, quæ homo est. Quod si homo secundum se, & absolute, vt vtramque acceptionem continet accipitur, æquiuocè dicitur, quia de Petro vniuocè, & substantiue, atque essentialiter dici potest, ac de Deo solum denominatione, & accidentaliter: quare rectum significatum, pro quo solum supponit nomen (nam obliqua solum connotantur) omnino diuersum est in Petro, cum de eo substantiue prædicatur homo, & in Deo cum de ipso adiectiue homo prædicatur, vt rectè docuerunt Scotus in 3. d. 7. q. 1. & Almain. dub. 2. quos non satis penetratos multis in casum impugnat Bernal.

6. Et quidem, quæ hæctenus diximus, in his propositionibus *homo est Deus*; & *Deus est homo*, verum omnino habere videntur; aut in aliis communicationis idiomatum, non ita planè videntur constare. Etenim, si in his *homo*, vel *hic homo mortuus*, *passus est*, & *Deus mortuus*, vel *passus est*, pro habente humanitatem, ac Deitatem, scilicet personalitatem in recto, seu, quod idem est, adiectiue ea nomina sumantur, falsæ eiusmodi propositiones erunt: cum personalitas diuina, quæ vtroque nomine in recto, significatur, cuique rectum prædicati concordat, & tribuitur, mortua non sit, neque mortalis. Cæterum, & in his etiam doctrinæ traditæ veritas constat: habens enim humanitatem, & habens Deitatem est persona eadem, in qua duplex natura subsistit; atque vtriusque denominationes suscipit in recto posita, sicut quæuis alia persona suscipit denominationes suæ naturæ. Sed, quasi illud habens solum personalitatem in recto, dicat in eis propositionibus, æque atque in illis *Deus est homo*, atque *homo est Deus*, atque ea personalitas in se mortua non sit, vt pote immortalis, & indefectibilis; aut ratione naturæ mortalis, & defectibilis, quam sustentat, non minus denominationes ipsius poterit subire, siue vna, siue altera naturæ exprimat in obliquo; nam reipsa, & verè vtramque sustentat naturam.

#### QVÆSTIO IV.

Pro quo in propositionibus communicationis idiomatum supponantur homo, & Deus?

CONSTAT ex dictis non posse hæc nomina supponi in eis propositionibus pro natura. Solum enim supponitur, nomen pro recto suo significato, non pro obliquo: at, cum in his propositionibus accipi substantiue ea nomina nequeant, sed adiectiue solum, vt diximus, quomodo personam solum in recto significant, & in obliquo solum naturam, nequeant pro natura supponi. Id quod monerim velim, vt plures hæc de re Bernalis conclusiones mittamus, quibus rem hanc magis implicat, dum explicat sect. 3. §. 1. à num. 4. & §. 2. Solum ergo est quæstio: an persona singulari supponantur suppositione singulari, an verò suppositione vel confusa, vel determinata pro

pro omnibus personis diuinis *Deus*, & humanis *homo*?

### CERTAMEN I.

*Supponitur pro personis omnibus suis suppositione determinata Deus, & homo.*

1 **E**st conclusio contra Soar. 3. p. q. 16. a. 1. §. *Primum dubium*, ubi ait Deum pro persona singulari Verbi supponi suppositione singulari, quod ipsum docere de termino *homo* consequenter debet: sicut docet Bernal. citato §. 1. num. 53. eam tamen tradunt Cardinal de Lugo d. 23. num. 28. & Vasquez 1. p. d. 157. cap. 4. licet hic non multa consequentia ad ea, quæ ex 3. p. retinimus: nempe hæc nomina dicere in recto naturas solum. Probatur: quia *Deus*, (& idem est *homo*) adiectiue sumptus, est terminus communis nullam personam singularem designans, sicut Verbum, aut Petrus: atqui ex adiunctione copulæ est, & prædicati *homo* non eo usque distrahitur à communitate, ut ad significandam personam singularem in particulari habentem de facto Deitatem, & humanitatem trahatur: nec tam parum distrahitur, ut significet, ac supponatur confuse pro hac, vel illa persona habente humanitatem, & Deitatem: ergo supponitur pro omnibus personis suppositione determinata. Minor probatur: quia id ad veritatem earum propositionum non est necessarium. Licet enim in aliquo singulari propositiones contingentes, cuiusmodi ista est, verificentur, non tamen pro eis solum termini supponuntur, sed pro reliquis etiam determinata suppositione: ut patet in hac: *homo currit*: quæ in Petro. v. g. verificatur, & tamen determinatè pro omnibus hominibus supponitur, secundo: quia propositiones contingentes prædicati distrahit ad significandum terminum communem eam, quibus prædicatio, & per se contingere prædicata possunt quæ sunt indiuidua omnia secundo determinata suppositione significatâ, non confusâ, nec singulari, ut in summalis monstrabamus, & d. 12. de Trinit. leuius attigimus.

2 Probatur tertio: quia pro eis omnibus supponitur terminus communis, in quibus saluari absolute potest veritas propositionis secundum se consideratæ; saluari autem absolute potest in alia persona. v. g. in Patre si hic incarnasset, ut absolute potuit, non autem Filius: tunc enim, etsi in filio designato vera non esset, esset vera eadem propositio in Patre: quare, quousque omnibus designatis nullam incarnasse, esseque Deum conuinceretur, non conuinceretur falsitatis propositio: ergo pro omnibus personis determinatè supponitur. Confirmatur quia hæc propositio *homo currit*, quæ vera est currente Petro, vera etiam esset non currente Petro sed Paulo, vel alio quouis indiuiduo: ergo pro omnibus supponitur homo determinatè: ac præinde omnes percurrere possunt, ac debent, ut veritas ratione alicuius, siue in aliquo deprehendatur. v. g. *hic homo currit*, vel *hic homo currit*, vel *hic homo currit*. Ergo similiter hæc propositio *Deus est homo*, quæ de prædicato contingenti est, quouis persona diuina incarnata, licet Verbi persona non esset, sed Patris, vel Spiritus sancti vera esset; atque ad eius veritatem deprehendendam tres personæ percurrere poterit hoc modo: ergo: *Hoc habens Deitatem*, v. g. *Pater est habens humanitatem*: vel *hoc habens Deitatem*, v. g. *Spiritus Sanctus est habens humanitatem*. quare pro personis omnibus determinate supponitur *Deus* in hac propositione, sicut *homo* in illa.

3 Quarto, pone hanc propositionem *Deus est homo* proferri ante Verbi incarnationem: tunc quidem eadem esset suppositio terminorum (esto alia esset propositio indiuidua, quia diuersum tempus significaba-

tur per copulam, ab illo, quod nunc significatur) quia copula est, & tempus præcisè non variant terminorum suppositiones, quando eadem sunt prædicatum & subiectum omnino, siue noui signi, aut alterius vocis affectione: atqui tunc supponeretur pro omnibus personis diuinis terminus *Deus*: ergo, & tunc. Consequentia est certa. Minorem probat: qui tunc diceret *Deus est homo*, non conuinceretur erroris designato Patre, & deprehenso eum habentem Deitatem non esse hominem, siue habentem humanitatem: neque etiam designato Filio, & deprehenso eum non esse hominem, siue habentem humanitatem: nisi designato etiam Spiritu sancto id ipsum in illo recognoscere: nempe hominem, siue habentem humanitatem non esse: ergo pro eis omnibus personis, siue habentibus Deitatem *Deus* ibi determinatè supponitur: alioqui eo descensu per omnes utendum non esset, qui suppositionis determinatæ proprius est: neque proferenti pateret designata via persona, quæ *Deus* non esset, ad alias recurrit: nam ad eas solum, quæ significatum proferunt, pro quibusque terminus supponitur, recurrere licet ad veritatem propositionis assertæ examinandam. Decepit autem Soarium, & Bernal. quod ratione vnius personæ singularis vera esse debeat.

4 Illud autem, quod supra insinuauimus, probauimusque late in summalis: prædicata contingenti (cuiusmodi est prædicatum propositionis huius *Deus est homo*) non facere supponi subiectum pro omnibus suppositione confusa, sed determinata. Videtur esse contra Vasquez & Lugo: sed tamen confusam, & indefinitam eam vocant, quia non est pro persona determinata in singulari, ut opposita sententiæ contendeat: id quod satis declarant exemplis, quibus suam explicauerunt mentem, quæ suppositionis determinatæ, non autem confusæ, vel indefinitæ sunt. Aiunt enim supponi terminum *Deus*, sicut *homo* in hac: *homo est albus*: quo cessant Bernalis impugnationes contra ipsos, facileque probatur à pari: quia vtriusque prædicatum contingens est, secundo à priori: quia, ut in summalis dicebam, prædicata, quæ speciei non ratione sui, & primario competunt, sed secundario, & ratione singularis, cui primario competunt, extrahunt terminum communem specie ad significandam, & supponendum pro indiuiduis in gradu proximo ad singulare, cui primario competunt, & ratione cuius speciei conueniunt: atqui prædicata omnia contingenti (cuiusmodi est in re prædicta *homo*) competunt subiecto, v. g. *Deus*, ratione indiuidui singularis: ergo extrahunt terminum communem ad significandum & supponendum pro indiuiduis in gradu proximo ad singulare, ratione cuius competunt termino communi: atqui immediatus gradus ad singulare illud, est gradus significationis pro indiuiduis suppositione determinata quia indiuiduum determinatè significatū immediatum est ad singulare: ergo prædicata contingenti (cuiusmodi est *homo*) supponere faciunt terminum communem subiecti v. g. *Deus* suppositione determinatâ, non confusâ.

### CERTAMEN II.

*Aliorum argumenta eleuamur.*

1 **O**ppones primò. S. Th. 3. p. q. 16. a. 1. corp. sine assertentem ex 1. p. q. 39. a. 4. in his propositionibus Deum pro verbo, quæ singularis persona est, supponi. Responderetur nos etiam asserere supponi terminum *Deus* pro persona Verbi singulari, sed non pro illa solum, sed, & pro aliis duabus, suppositione determinatâ: quod nusquam ibi S. Thomas negat. Allegat autem doctrinam primæ partis, non, ut sic

ibi supponi terminum *Deus* in hac, *Deus generat* (scilicet pro persona singulari Patris, cuius notionale prædicatum est generare) singulariter dicitur, ita in hac *Deus est homo*: quod prædicatum notionale Filij non est, singulariter supponi doceat pro Filio; sed ut probat nomen *Deus* supponi adiectivè, & pro personis in recto posse. Eius verba sunt. *Nomen enim significans naturam communem in concreto potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen homo potest supponere pro quolibet homine singulari, ita hoc nomen Deus ex ipso modo sua significationis potest supponere pro persona filij Dei.* Vbinam hic docet pro ea solum supponere? Subdit autem: *de quolibet autem supposito alicuius naturæ potest verè, & propriè, prædicari natura in concreto, sicut de Sorte, & Platone propriè, & verè prædicatur homo: ergo persona filij Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus, est suppositum naturæ humanæ verè, & propriè, &c.* Sed neque hic negat supponi prolaliis; sed ostendit supponi pro eo, ratione cuius verificanda propositio in sensu proprio est, quod sui infirmitati erat. Planè hæc solutio à nostro Lugo data detortis intelligentiis, in casum impugnatur multis à Bernal.

Ab absurdo impugnat Soar, proximè. Propositiones de prædicato contingenti & subiecto supponente determinata suppositione tam affirmatiua, quam negatiua possunt esse simul verè, v.g. *homo est albus, homo non est albus.* Et vniuersam subcontrariæ quæuis in materia contingenti: quia ratione vnius singularis alterutra satis verificari potest: ergo poterit esse vera in re præfenti non solum *Deus est homo*, sed simul & hæc, *Deus non est homo*; quod est absurdum. Scholasticè loquendo nego absurditatem, ut ipse etiam Bernal negat e. r. s. i. num. 46. male sensum, in quo admitti potest, physicum vocans: cum sit valde subtilis, metaphysicus, & Scholasticus: quare apud vulgus, qui acceptiones adiectiuas nominum substantiuorum naturæ non callent, admittenda negatiua non est: intelligent enim Deitatem in nullo supposito diuino vnitam humanitati hypostatice fuisse, quod est hæreticum. Sensu autem metaphysico, & scholasticè facilius eam admitterent, qui eam admittebant *Deus non generat*, licet vitandum ob scandalum moneant, ut Gregorius in 1. d. 5. q. vnica verfic. sed restat dubium. Gabriel. q. 2. art. 2. concl. 2. Aureol. q. 1. apud Capreol. q. 2. num. 12. vbi Durand. Marfil. in 1. q. 8. art. 3. versu ad secundam rationem principalem.

Neque vero eandem esse huius propositionis, & illius *Deus non est homo* rationem, ut hac admittat, & illa *Deus non generat* admittenda sit, quam pauculi meticolose admittunt. Cum enim generat, siue est generans terminum notionalem Patris solius, proprium contineat Deum singulariter supponi, vel supponere facit, ut bene obseruabat S. Th. 1. p. q. 39. a. 4. & Vasquez d. 157. aliique communiter: quare negatiua erit falsa adhuc rigidè, & scholasticè loquendo. *Secus Deus non est homo*, in qua nihil notionale est, quod Deum singulariter supponere faciat, ut num. 1. notabam. Hoc sibi volebat recitari Damascenus q. 3. cert. 3. num. 1. & 3. de fide cap. 4. inquit, dicens Deum dici de natura, cum substantiue accipitur, & de persona cum adiectiue vsurpatur: quandoque etiam in singulari. *Nimirum*, inquit, *eo, quod specialius est*, nempe singularis persona, generalioris nomen, id est personæ diuinæ, seu habentis Deitatem, suscipiente. Quando vero id eueniat exemplo demonstrat: Ut cum Scriptura ait *propterea vixit te Deus tuus: vides enim hic Patrem, & filium designari.* Filium pronomine te, Patrem *Deus tuus*: qui propriissimè, ut repetitione nominis *Deus* Hebraicè significatur Filij *Deus* est, ut videat Bernal, quam parùm, imò nihil, præsidij in hoc Damasceni testimonio pro tua, & Soarij sententia possit reperiri.

Subtilius opponi tertio possit. Licet habenti *Dei*. R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

tatem, nempe Verbo, contingens sit habere humanitatem, & ratione illius Deo adiectiue vsurpato, siue habenti Deitatem: aut huic homini, siue huic habenti humanitatem, nempe eidem Verbo, quod illam habet, contingens non est habere Deitatem: ergo, licet in hac propositione *Deus est homo: Deus* supponatur determinatè, quia propositio est de prædicato contingenti, ut dicebamus; aut in hac *homo est Deus*: homo non supponetur determinatè: quia non est de prædicato contingenti. Respondetur eodem argumento probari posse in hac propositione *albus est homo*: illud albus non supponi suppositione determinata: quia huic habenti albedinem non est contingens esse hominem v.g. Petro, qui essentialiter homo est: & tamen per omnes determinata suppositione in ea propositione supponitur. Respondetur ergo contingentiam propositionis desumendam esse ex identitate recti significati subiecti, & prædicati, quæ per copulam est in his propositionibus asseritur. Ea autem identitas contingens est: nam licet Verbo contingens non sit esse Deum; aut contingens est esse hominem, & Deum, ut patet: quod ipsum dictum de albo in alia propositione puta.

QVÆSTIO V.

De earum propositionum qualitate.

Licet veritas, & certitudo propositionum qualitates sint: quia tamen de harum qualitate, & certitudine dictum satis est q. 1. alia solum qualitates earum examinandæ in præfenti sunt. An scilicet sint propositiones per se, an per accidens? in materia materiali, an contingenti? quod insuper prædicabile spectent.

CERTAMEN I.

Sunt propositiones per accidens, & in contingenti materia.

Richard. in 3. d. 7. art. 1. q. 1. ad 3. Argentina q. v. art. 4. ad 5. S. Th. q. 1. art. 1. & 4. & 3. p. q. 16. art. 1. ad 1. Caiet. & Dominicani interpretes ibi Ferraria 4. contra 2. c. 45. 8. Pro horum solutione esse propositiones per se putant. Bernal d. 45. sect. 3. §. 4. num. 83. & 84. arbitraria quædam acceptione concretorum substantiuorum essentialium, & extra essentialium, totum hoc cuique arbitrarium reliquit. Ait enim accepto termino *Deus*, ut concretum essentialiale esse per accidens, & in materia contingenti. *Deus est homo.* Is enim est sensus. *Constitutum essentialiter ex Deitate, & filiatione est terminans humanitatem*, quod contingens proflus est; accepto verò, extra essentialiale esse per se, & in materia naturali: reddit enim sensum: *habens Deitatem extressentialialem sibi est constitutum ex humanitate, & filiatione*: constitutio autem, cui extressentialis, ac non essentialis Deitas in Christo sit essentialis homo est, siue esse constitutum ex humanitate, & filiatione. Sed vanè diuino hæc concretorum, qua res potius præfens intricatur, quam exceditur inducta est: cum nomina concreta in adiectiua, & substantiua, atque horum quoduis in substantiue, & adiectiue accepta hætenus diuisa ab Scholasticis, & Grammaticis solummodo fuerit, ut ipse fatetur sect. 2. §. 2. num. 23. eisque diuisionibus clarius res præfens expeditur.

Insuper falso, & curte sua vsur doctrina Bernal: falso quidem: quia, si proferens non exprimat extressentialiter, vel essentialiter a se sumi terminum

Deus in propositione *Deus est homo* qui eam audit, neutrum sensum poterit determinate percipere. Secundò: quia ex hac doctrina fateri cogitur numer. 83. citato hanc propositionem *risibile est homo* esse de predicato specifico, quod nemo somniauit. Curte autem, quia non explicat, qua ratione accipiendus sit terminus, seu predicatum *homo* essentialiter, an extra essentialiter: cum Deus alterutro modo accipitur. Si autè essentialiter uterque accipiat, erit sensus: *constitutum essentialiter ex Deitate, & filiatione est constitutum essentialiter ex filiatione, & humanitate*: quare non erit in materia contingenti, vt ipse aiebat, sed in remota, & impossibili, ac necessario falsa propositio. Sin verò vtrumque extra essentialiter accipiat, erit sensus: *constitutum, seu habens extraessentialiter Deitatem in Christo est habens extraessentialiter humanitatem, seu constitutum extra essentialiter ex ea, & filiatione*: quod in eius explicatione nec per se, nec in materia contingenti, & per accidens est, sed in materia remota, & impossibili, ac necessario falsum: nam constitutum extraessentialiter ex Deitate, & filiatione in Christo essentialiter est constitutum ex filiatione, & humanitate: quare non potest esse ex illis extraessentialiter constitutum. Acceptio autem concreti vnus essentialiter, & alterius extraessentialiter in propositione eadem magna æquiuocationis occasio est, atque indigna, quæ per regulam Theologicam tradatur. Denique repugnat regula hæc cum Bernalis doctrina sect. 2. §. 2. num. 23. vbi ait malè ab aliquibus Theologis concretæ substantiæ harum propositionum essentialia vocari, cum extraessentialia sint, & accidentalia, atque, vt talia solum accipi debeant.

3 Dicendum est propositiones hæc esse propositiones per accidens, & in materia contingenti. Ita S. Bonaurin 3. d. 7. a. 1. q. 2. ad 4. Scot. q. 1. §. quinto videndum. Maior q. 2. §. dubitatur p. 2. Bassol. q. vn. §. Quæsum ad primum. Lichet. q. 1. s. lmain. dub. 1. sine Paludan. a. 2. Durand. q. eadem ad 2. Capreol. ad argumenta Scoti contra secundam concl. Marfil. q. 6. ad 5. rationem Vasquez d. 68. c. 2. num. 7. Licet in acceptatione sua substantiua horum concretorum in materia remota esse eas propositiones, ac necessario falsas contra ipsum euicerimus supra q. 3. cert. 1. n. 4. soar. d. 35. sect. 3. §. contraria sententia. Durandus, & Paludanus, licet asserant ea concreta pro naturis in recto significare: cum tamen in natura, etiam diuina, factam vnionem fateantur, vt vidimus controu. 1. nihil docent inconsequens. Probatur conclusio: quia eo propositiones istæ veræ sicut, quod concreta earum adiectiuè vsurpentur, significantque *habens Deitatem est habens humanitatem*: atqui habenti Deitatem habere humanitatem non est per se, & in materia naturali, sed per accidens, & in materia contingenti: ergo eiusmodi propositiones per accidens sunt, & in materia contingenti. Obiici hic poterat, quod obiiciebamus, & diluimus q. 4. cert. 2. num. 4. Cui etiam satisfiet, si dicatur terminum *homo* supponi pro tota hominum collectione, determinata suppositione, cui contingens est intra ipsam includi hominem ex humanitate, & personalitate diuina constantem, licet huic habere Deitatem non sit contingens, sed necessarium, & essentialiter physicè.

4 Simili Scoti probationi respondet Caietanus: terminum *Deus* supponi pro persona Verbi singulariter, & quatenus habet humanitatem: cui, vt sic, nec contingit, nec per accidens est, sed omnino per se hominem esse. Multis mihi non satis firmis impugnat Vasquez solutionem. Sic autem ego: quia, vt q. 4. ostendimus, terminus *Deus* non supponit, vel supponitur singulariter pro persona Verbi, sed suppositione determinata pro omnibus personis diuinis distinctiuè. Minus autem supponere *Deus* potest pro Verbo, vt habente humanitatem adhuc ratione prædicati *homo*: subiuncti: quia licet prædicata aliter, atque alij

ter, sæpè supponere subiecta faciant, vt diximus, id tamen est intra latitudinem concretorum in significato subiecti: atqui humanitas, adhuc indistinctè, non continetur in significato subiecti *Deus* quouis modo accepti, vt patet.

Impugnat benè Vasquez num. 8. §. sed age: quia, si prædicatum efficere potest, vt ipsum ex parte subiecti significetur à subiecto, nulla erit propositio in materia contingenti & per accidens: in hac enim *Petrus est albus* ex parte subiecti non significabitur *Petrus* nudus, sed, vt habens albedinem, quo pacto non contingenter, sed essentialiter, & per se albus est. Denique rectè ex hac Caietani doctrina inferat admittendam necessariò ab ipso hanc propositionem hæreticam *Deus est homo, in quantum Deus*. Etenim, si *Deus* ex prædicato *homo* significat Verbum, seu Deum, vt habet humanitatem, non potest magis negari esse quatenus Deum hominem, siue habentem humanitatem, quam album quatenus album esse album, siue habens albedinem.

5 Idem absurdum deducit Durandus quia ex Arist. 1. poster. c. 4. quidquid alicui conuenit per se, conuenit ipsi secundum quod ipsum: quia conuenit ipsi, vt essentialiter ipsius: ac proinde non magis esse sine eo potest, quam sine se ipso: atqui Deo per se conuenit per se esse hominem: ergo conuenit Deo secundum quod ipsum, siue in quantum Deus est. Ex eodem Aristotelis principio traditur ibidem aliud ab Arist. quod neque à Caietano negatur: nempe quidquid prædicatur per se de aliquo prædicari debere de omni contento sub illo: quia nequit non esse sine illis essentialiter, sub quo continentur. Vnde arguit Scotus: atqui esse hominem non prædicatur necessariò de omni contento sub Deo, seu habente Deitatem, scilicet de tribus personis diuinis: imò nec de duobus potest verè prædicari: ergo non prædicatur per se de Deo, seu habente Deitatem, sub quo tres personæ habentes Deitatem continentur. Præclufi solutionem Caietani ad hoc Scoti argumentum. Monet autem oportune Vasquez num. 5. §. verum antequam ad mysteria hdei tendenda nouam logicam excogitare non licere, ne cum ipsis doctis & Philosophis Ethnicis videamur. Ad reduplicatiuam Durandi respondet Caietanus in quantum ponere Deum quem afficit ex parte prædicati: est enim sensus *Deus in quantum est Deus*: posito autem termino *Deus*, vel quouis alio substantiuo concreto naturæ ex parte prædicati supponere non pro persona, seu adiectiuè, sed pro natura: quare addita reduplicatiua variatur termini *Deus* suppositio: quæ variata non currit Aristotelis axioma: quod intelligi propterea debet quando propositiones sunt veræ, & prædicata conueniunt subiectis concretis ratione formæ, seu naturæ: nequit esse variatio suppositionis eorum per additionem reduplicatiuæ, non verò quando sunt veræ ratione suppositi, ac variandæ suppositioni locus manet.

6 In primis limitatio regula vniuersalis Aristotelicæ commentitia est, & quæ ratione à nobis data exploditur. Secundò concreta substantiua natura posita ex parte prædicati supponi pro natura falsum est: & ex quo propositiones communicationis idiomaticæ *Deus est homo: & homo est Deus* falsæ necessariò erunt: cum nequeat esse idem directum significatum subiecti, & prædicati. Tertio per reduplicatiuam terminus non sic prædicatum sui ipsius, sed reduplicatur, seu specificatur secundum quid subit prædicato subiectum. Quarto: quia reduplicatio cadit supra significationem, & suppositionem subiecti, quam reduplicat: quare nequit illam mutare, vel variare. Quintò Caietani regula admissa, inquit Vasquez, hæc est propositio per se *Verbum est homo*, & ratione cuius hæc *Deus est homo* est propositio per se: atqui addita particula reduplicatiua non significabitur in recto natura, cuius concretum non est, sed personæ: ergo hæc erit veræ *Verbum*

in quantum verbum est homo; quod est hæreticum. Dices pro Caietano: illud in quantum denotat rationem formalem, ob quam sit homo, quod non est Verbum. Sed quid si non specificatiue, sed reduplicatiue accipitur? secundo idem denotat terminus per se, nempe essentialiter conuenire prædicatum subiecto; & tamen à te admittitur in ea propositione. Tertio verbo, quatenus per te ratione prædicati est sub duabus naturis, formaliter competit esse hominem, & Deum: ac prorsus, sicut Christus in quantum Christus dicitur Deus & homo potest, ita, & Deus, ac Verbum. Denique non leuiter nostra conclusio probatur: quia nihil est, quod leuiter illam adhuc oppugnet præter S. Th. citati num. 1. auctoritatem, qui tamen explicari potest, vt de propositionibus materialiter sumptis loqueretur, quo ostenditur Dei, & hominis physicam, & realem in substantiis & naturis vnum per se constitutum, non accidentarium, & affectiuam duarum per se entitatum vnum per accidens Nestorianè constitutum vnionem in Christo fuisse; non autem de modo conueniendi, & dicendi prædicatum de subiecto: de quo & nos hic, & Aristoteles loco citato. Hæc sanè eadem eodem modo de hac propositione: *hic homo est Deus* intelligenda sunt.

CERTAMEN II.

Christus, Emanuel, Iesus, est Deus, vel est homo sunt propositiones per se, vbi vtriusque designatur prædicabile.

1 Scotus supra, quem sequitur Gabr. apud Soar. Sect. 3. §. vltimus verò. Bassolis in 3. d. 7. q. 1. §. quantum ad primum. Paludan. q. 1. a. 3. docent has propositiones non esse per se: quia, licet prædicatum necessario contineat subiecto, tamen ex parte subiecti eorum, quæ dicit, nempe naturas duas, non est connexio, siue vnio necessaria, & per se, vt opus erat ad propositionem per se; sed vnio per accidens, vt ait Scotus, vel contingens, vt loquitur Paludanus. Nostram verò conclusionem docent citati Doctores cert. 1. pro perfectate propositionum omnium communicationis idiomatum; ex aliis verò Marfil. & Maior. citati ibidem Soar. & Vasquez vbi proxime c. 3. §. Atibi tamen. Hic autem malè censet veras has propositiones esse, etsi prædicatum subiecta, accipiantur pro natura, vel naturis, quas proinde in recto significent. Erat enim ita accepto homine *Christus* propositionis *Christus est Deus*, vel est homo sensus iste: *Deitas, & humanitas cum personalitate est humanitas cum personalitate*, vel est *Deitas cum personalitate*: quod esset prædicari partem de toto: v. g. *homo est anima*, vel est *corpus*, quod est planè falsum. Secundo: cum liceat conuertere hanc *Christus est Deus*: in hanc *Deus est Christus*, si prima sit *Deitas*, & *humanitas cum personalitate est Deitas cum personalitate*, vt iuxta hanc Doctrinam Vasquianam est, in hanc poterit conuerteri *Deitas cum personalitate est Deitas*, & *humanitas cum personalitate*: quæ est aperte falsa. Solum ergo possunt ea nomina adiectiue usurpari in propositionibus præfatis.

2 Probat conclusio: quia in hac propositione *Christus est homo*, & similibus, prædicatum est de essentia subiecti: quare, & illi per se, & ratione sui conueniens: atqui id solum requiritur ab Aristotele 1. Poster. c. 4. vt aliquid de aliquo per se formaliter, & propriè dicatur: ergo ea prædicatio & propositio est formaliter, & propriè per se. Secundo: quia, vt ex eodem Aristotele ibidem referebamus: quidquid de aliquo prædicatur secundum quod ipsum, siquæ ei conuenit, conuenit ei, ac de eo prædicatur propriè formaliter per se: qui prædicatum eius propositionis, & simillium conuenit Christo, de eoquæ prædi-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

catur secundum quod ipsum: ergo conuenit illi, de eoquæ prædicatur propriè, & formaliter per se. Quod autem ad propositionem per se vltius Scotus, & Paludanus requirebant, nempe, vt quidquid in subiecto propositionis per se est, necessario, & per se connexum sit, non per accidens, siue contingenter, commentitium planè est, & contra Aristotelem proximè, quodque facile refellitur à Marfilio, & Maiore: quia omnium sententia *Petrus albus est albus*, vel *coloratus*: seu *album est album*, vel *coloratum*: sunt propositiones per se; & tamen Petrus, quoduisue aliud albedinis subiectum cum albedine non per se, & necessario, sed per accidens & contingenter, seu accidentariè prorsus conuenitur, vt nemo non videat.

3 Circa prædicabile, ad quod spectent propositiones communicationis idiomatum, S. Bonau. Scot. & Bassolis citati propositiones primas *Deus est homo*, & similes ad sextum quoddam prædicabile quædam vulgaribus additum spectare censent. Consentunt Fonseca. 5. met. c. 8. q. 7. & Conimbr. in proamio Logicæ assumptum illud vocantes: inani quidem, & prædicabile, & vocis adiuuentu: cum eis propositionibus in quinque prædicabilibus suum non desit. Alij ad secundum prædicabile eas reuocant: quia speciem de individuo eis propositionis prædicari putant: quibus consentit Bernal. c. 45. sect. 3. §. 4. num. 84. Sic enim nomina extra essentialiter accipiuntur (licet aliis acceptio-nibus eorum ad alia prædicabilia pertinere sentiat) quia sensus in ea acceptio-nibus est: *constitutum habens Deitatem sibi extra essentialiter est homo*, seu *constitutum ex humanitate*, & *personalitate diuina*: quod idem est, atque *hic homo est homo*. Sed contra: quia, si homo accipitur extra essentialiter, vt potest per te, sensus prædicati erit *est habens humanitatem sibi extra essentialiter*: ergo non, vt speciem. Secundo: quia habens, quod est directum significatur concretorum eorum in eis propositionibus est personalitas diuina, cui metaphysicæ, & logicæ Deitas extra essentialis est, & physicè etiam humanitas: ita personalitatis significæ nomine homo, quod pro omnibus personis hominum etiam supponitur, per accidens est diuinam de facto esse.

4 Dico primo eiusmodi propositiones ex quarto prædicabili sunt. Ita Vasquez c. 4. §. Mibi verò, & Soar proximè cum Marfil. Maiore. Almaino, Gabr. & reliquis, qui nobiscum eas propositiones, per accidens, & materiæ contingentis esse docuerunt. Probat: quia accidens quantum prædicabile est, quod potest adesse & abesse à subiecto præter eius corruptionem, à Deo autem potest adesse, & abesse præter eius corruptionem esse hominem: ergo homo, esse hominem respectu Dei, quod est subiectum, est quantum prædicabile. Nec inferes inde: ergo vnio Dei ad humanitatem est accidentaliter, si physicè loquaris, nec solum logicè. Sicut, licet homo de animali, & Petrus de homine, quoduisque inferius de suo superiori logicè accidentaliter, & prædicatione quinti prædicabilis dicatur: quia animali logicè contingit esse hominem, & homini contingit esse Petrum; non tamen inde inferitur physicè accidentaliter ipsi coniungi. Sed nec, si illud inferretur, quidquam contra Patres inferretur, qui solum vnionem physicam Dei ad humanitatem contra Nestorium contenderunt, eamque naturalem, & substantialem appellarunt: denominatiue solum fortasse ab extremis, quæ nescit, quæ quædem substantiæ sunt: sicut de modo vnionis compositi naturalis docebamus in physicis nihil esse, quod eum intrinsecè substantialem esse demonstrat: imo neque efficaciter suadeat, sed denominatiue ab extremis substantialibus.

5 Dico secundo: Hæ propositiones *Christus est homo*, & similes pertinent ad secundum prædicabile speciei. Ita Vasquez. Soar. & reliqui, qui eas propositiones per se esse docuerunt num. 1. Probat facile: quia, QQQQ 2 Christus,



pliant. Okants, Gabr. & Sumulifæ vulgo, vt in quatuor propositiones resoluantur v.g. *Petrus, quia musicus canit*: in his, *omnis musicus canit, vel potest canere*. Secunda: *Petrus est musicus*. Tertia *Petrus canit*. Quarta: *Musica est causa canendi*. Ego verò explicationem hanc reduplicatarum generatim esse non iudico. Tum, quia propositiones reduplicatarum reduplicatiuè acceptarum non bene explicat, vt statim videbimus: tum, quia reduplicatarum specificatarum diminuentium explicatio mala est: tum denique; quia etiam non diminuentium est superflua explicatio. Atque, vt ab hoc ordiar vbinam illa propositio continetur, *omnis musicus canit, vel potest canere*, in illa *Petrus, quia musicus canit*: deinde in specificatiua diminuentem non licet terminum quem afficit reduplicatiua predicari de subiecto v.g. *Aethyops est albus secundum dentes*: *Aethyops est dentes*, sed solum *habere dentes*: & ratio est, quia in his designatur terminus per reduplicatiuum, qui pars subiecti physica præcisè est, quæ, vt talis nequit predicari de toto. Facilius ergo explico reduplicatiuas propriè, & strictè reduplicatiuas additione vocis per se, aut essentialiter: v.g. *homo, quia homo est rationalis*, hoc pacto *homo per se*, aut *essentialiter est rationalis*, quæ particula physice, vel metaphysice sumi possunt. Reduplicatiuas verò specificatiuas acceptas non diminuentes per causalem vnam: v.g. *Petrus canit, quia musicus est*: seu, *quia musica est causa illi canendi*; diminuentes verò predicando adiectiuè prædicatum propositionis de parte, quam afficit reduplicatiua diminuens: v.g. *Aethyops habet dentes albos*.

CERTAMEN II.

De reduplicatiuis reduplicatiuè acceptis, Conclusiones.

**D**octores citati cert. 1. num. 2. & Caiet. q. 16. a. 1. r. Afferunt hanc propositionem; *Christus, vt homo est Deus*, veram esse. Addit S.Th. in sensu improprio accepto *homo* pro supposito: quod imitari deberet Caietanus, cum asserat concretum reduplicatiuè affectum semper stare pro natura. Addito verò pronominè *hic* termino *homo*, propriam, veramque idem asserunt contra Paludan. in 3. q. 1. a. 1. conclus. 2. & 3. Durand. d. 10. q. 1. & Vasquez d. 99. c. 1. n. 3. *Ad hi autem*, qui falsam prius eam propositionem asserunt, atque duo postremi, est addatur termino *homo* pronomen *hic*: quia putat, adhuc eo addito significare in recto naturam, pro eaque supponi ex vi adiunctæ reduplicatiuæ. Sed hoc nulla ratione probatur: quouis enim modo accepto, & significante termino *homo* potest reduplicatiua affici, vt patet: neque ratio alia afferri potest, nisi, quod hæc propositio posset esse vera *homo quatenus homo est Deus*, accepta reduplicatiua reduplicatiuè: quod tamen falsum est, vt videbimus statim concl. 1. vbi ostendimus, adhuc significante termino *homo* adiectiuè, falsam eam propositionem esse, si reduplicatiua, reduplicatiuè accipiat. De hac propositione nemo ex instituto disputauit (licet falsam merito reputent omnes, inferantque contra Caietanum asserentem hanc propositionem *homo est Deus*, esse propositionem per se tanquam absurdam) quia nihil simile fuerat à Patribus asseritum, neque reduplicatiua reduplicatiuè, sed specificatiuè solum vsurpata.

**D**ico primò non licet communicatio idiomatum inter concreta nuda *homo, Deus* per reduplicatiuas reduplicatiuè acceptas adhuc in attributibus: v.g. *homo, quatenus homo, est Deus, vel immortalis*: aut *quatenus Deus, homo, vel risibilis est Deus*. Est ab omnibus Patribus, vel præsupposita conclusio, vel cursim asserita. Ratio est. Quia particula reduplicatiua, quæ talis, restringit significatum termini ad id, quod nudè, &

secundum se sumptum significat, quin extendi illud ad aliquid vterius significandum permittat: atqui terminus *homo, vel Deus*, etiam adiectiuè vsurpati (si enim substantiuè vsurpètur apertè falsas eas propositiones ostendunt) in sua stricta significatione sistendo nihil dicunt, quod aliter sit: ergo eiusmodi propositiones erunt falsæ nec eis communicatio idiomatum licitè exercebitur. Minor probatur: quia homo nudè, ac præcisè secundum se etiam adiectiuè sumptus significat solum *habens humanitatem* præcisè, & in communi, in quo neque propria, neque aliena, & diuina subsistentia, sed quid abstrahens ab vtraque significatur, vt sic autem, neque metaphysicè, neque physice Deus est. Item Deus adiectiuè nudè sumptus, & præcisè nullam in particulari indiuiduam singularem personam diuinam dicit, sed abstrahentem modo explicato controu. de Trinit. tribusque communem, qua ratione non habes humanitatem, nisi in aliqua singulari persona. Confirmatur: quia omnium sensu falsum est homo præcisus, & in communi, currit, licet plures currant: ergo, cum reduplicatiua, qua talis, relinquat Deum, & hominem in statu præcisionis, in qua nequit habere alteruter vnionem, ratione cuius sit homo Deus, & è contra nequit dici sub reduplicatiua, qua tali, Deus homo, vel homo Deus. Vrgentius adhuc probabunt conclusionem hæc probationes, quas iam pro secunda subiicio.

**D**ico secundo: non licet communicatio idiomatum per particulas reduplicatiuas inter Deum, & hominem, adhuc in attributibus, etsi adiungatur illis pronomen *hic* v.g. *hic homo est Deus immortalis*: aut *hic Deus est homo, risibilis*. Est conclusio Durandi, & nostri Vasquez facilis probatu si terminis substantiuè accipiantur. Probo autem eam terminis adiectiuè acceptis, quo solum pacto apponi potest pronomen *hic* termino *Deus* non inepte. Probatur primo: quia hoc modo acceptus *hic homo est hic habens humanitatem* quatenus *hic habes humanitatem* reduplicatiuè nequit esse habens Deitatem: ergo nequit dici vere *hic homo quatenus hic homo Deus*. Probatur minor: quia reduplicatiua, qua talis restringit significatum termini, quæ afficit: quare non magis potest esse *hic habens humanitatem*, qua talis, habens Deitatem, quam imposit esse idem ex parte obiecti habere humanitatem, atque habere Deitatem. Probatur secundo: quia propositiones de reduplicatiua, qua reduplicatiua, sunt propositiones per se, & essentielles, vt supra docebamus cert. 1. num. 3. ergo solum potest apponi reduplicatiua propositionibus de prædicato per se: atqui *hic Deus est homo, vel hic homo est Deus* non sunt propositiones per se, sed contingentes, & per accidens, vt ostendebamus d. 1. q. 5. cert. 1. ergo nequit eis apponi reduplicatiua, quatenus reduplicatiua est.

CERTAMEN III.

De reduplicatiuis specificatiuè acceptis, conclusiones.

**D**ico primo: nequit esse communicatio idiomatum per reduplicatiuas specificatiuè acceptas cadens supra concretum natura diuersæ ab ea, quam denotat prædicatum, v.g. *Christus quatenus homo est Deus, immortalis*, &c. vel *quatenus Deus est homo risibilis*. Est conclusio reuera S.Th. Vasquez Durandi, Paludani contra Caietanum, vt vidimus cert. 2. num. 1. Ratio est prompta: quia sic accepta reduplicatiua denotat terminum ab ipsa effectum esse rationem & causam cur prædicatum conueniat subiecto: est concretum diuersæ naturæ in communi, non est ratio cur prædicatum alterius naturæ conueniat subiecto: ergo reduplicatiua specificatiuè adiuncta concreto natura diuersæ à natu-



ra prædicati reddet falſam propoſitionem : ac proinde non licebit communicatio idiomatum per reduplicatiuas ſpecificatiuè acceptas cadentes ſupra eiufmodi concretum. Minor probatur : quia hoc, quod eſt eſſe hominem in communi & præciſè, non eſt ratio, aut cauſa cur Deus ſit, vel è contra, vt patet : poſſet enim eſſe homo, quin eſſet Deus, & Deus præciſè, & in communi, quin eſſet homo. Secundo : quia Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum contingenter dicuntur : prædicata vero contingentia non conueniunt per ſe primariò, & ratione ſui termino communi, ſed indiuiduis, atque ratione horum communi termino : neque enim homo currit primariò, & ratione ſui, ſed Petrus, vel Ioannes, atque horum ratione homo.

2 Dico ſecundò : licet abſolutè idiomatum communicatio per concreta eiufmodi, & reduplicatiuas ſpecificatiuè acceptas, ſi illi ſupra quod cadit, addatur pronomen *hic*, notare ſingularitatis v. g. *Chriſtus in quantum hic homo eſt Deus*. Probatur : quia pronomen *hic* denotatur, ſignificaturque perſona Verbi : atqui Verbi perſona eſt cauſa cur homo adiectiuè ſumprus ſit Deus, & Deus adiectiuè ſumprus ſit homo : ergo addita ea particula *hic* concreto communi deſignatur cauſa, quæ verè talis eſt, cur Deus ſit homo, & homo Deus, ſicut particula reduplicatiua ſpecificatiuè accepta denotatur : ac proinde vera eſt propoſitio, licetque talis idiomatum communicatio. Minor probatur : quia perſona Verbi eſt cauſa quaſi materialis habens ſuſtentantiſque ſuppoſitaliter ſuo modo humanitatem, & deitarem, ſicut ſuo modo humanitas ſuſtentat ſubiectiuè paſſiones in Chriſto : quare ſicut Chriſtus, quatenus homo, ſiue ſecundum humanitatem, aut, ſecundum quod homo, dicitur paſſus : quia ad id fatiſ eſt denotari per reduplicatiuam ſpecificatiuè acceptam, cauſam materialem patiendi, ſiue paſſionis prædicatæ ſubiectum : ita, & dici poterit, quia *hic homo Deus*, quia denotatur Deo prædicati ſuppoſitum. Eſt autem, aduertendum hanc propoſitionem, licet à S. h. Alexandro, & aliis ſcicatis cert. 2. num. 1. aſſertam, apud vulgus indoctum, ſubtilitatumque Theologicarum ignarum non eſſe nudè, ac ſine explicatioue proferendam.

3 Dico tertio, *Chriſtus quatenus homo eſt creatura temporalis, incipit, deſiſt que eſſe, quatenus Deus eſt creator, immortalis, æternus* dici rite, ac rectè poſſunt. Ferè nihil hic de his propoſitionibus, cum communicationis idiomatum non ſint, licet ſint reduplicatiuæ, niſi nimis ſerupuloſis Theologis pauculis ſuborta eſſet de eſt religio. Sunt enim valde Patribus familiares Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanum quòd ad *verbum* atinet *creator eſt, quod vero ad hominem creatura eſt Chriſtus*. ſerm. 2. de natiuit. *Ex Matre ſumpſit principium* quod idem eſt, atque *qua homo incipit eſſe*. Ferè eadem cum primo teſtimonio habent Cyrill. 16. Theſ. c. 4. Leo ſerm. 3. de Pentecoſt. Ambroſ. ſerm. 5. in Pſalm. 103. ad id *deduc me in ſemitam* ſic habet : *Non vereor, ne quis dicat : creatum ergo Chriſtum aſſeris ? Reſpondebo : ita creatum dico, quemadmodum factum legi. Hoc eſt factum ex muliere*. Vrgentiora plurà Patrum teſtimonia dabimus quaſtionibus ſequentibus in ſolutione difficultatis ſtatim proponendæ. A ratione verò faciliùs probatur concluſio : quia ſpecificatiuis illis denotatur cauſa, quæ verè cauſa eſt, vt prædicata eiufmodi Chriſto, quod ſubiectum earum propoſitionum eſt, conueniat : ergo eiufmodi propoſitiones ſunt omninò veræ.

4 Dices : propoſitiones de reduplicatiua in tres reſoluuntur, quarum quauis falſa deprehenſa propoſitio eiufmodi falſa erit : atqui altera è tribus, in quas ſingule propoſitæ reſoluuntur, falſa eſt : ergo, & propoſitæ ſunt falſæ. Minor probatur, quia *Chriſtus, qua homo, eſt creatura* in has reſoluitur : *Chriſtus eſt homo : Chriſtus eſt creatura. Chriſtus, quia homo eſt creatura*. Illa verò *Chriſtus, qua homo, incipit eſſe* in has : *Chriſtus eſt homo : Chriſtus in capite eſt quia homo incipit eſſe* : atqui *Chriſtus eſt creatura*

*ra. Chriſtus incipit eſſe falſa ſunt, & quæ admitti nequeunt* : ergo, & illæ propoſitiones falſæ erunt. Scio memuloſos Theologos minorem hanc abſolutè fateri. Sed audient à Patribus duriores adeo propoſitiones, vt contentarum in minori horrorem excutiant. Et quidem, licet perſona Verbi æterna ſit : cum humanitas, & vtriuſque coniunctio ſit temporalis, Chriſtus, qui vtrumque dicit, ſi ſubſtantiuè vſurpetur non æternus, ſed temporalis dicendus abſolutè eſt : ſicut, licet materia, quæ altera mei pars eſt, à mundi exitu extiterit exordio, quia tamen neque anima, neque vtriuſque vno ex tunc extitit, ego ab initio mundi extitiffe non dico. Sin verò adiectiuè vſurpetur Chriſtus pro perſona habente naturam vtramque, ſicut de diuina æternitate æternus, ita de humana temporalitate temporalis per idiomatum communicationem, atque incepiſſe dicitur, vt ſuſius in ſequentibus dicemus.

5 Dico quarto : *Chriſtus, qua homo, nos redemit, ſaluauit, ſatisfecit pro nobis*, verè dicuntur quocumque modo accipiatur Chriſtus, nec ſolum cum adiectiuè accipitur, vt vult Vvadingo d. 13. dub. 4. s. dico primo, ſi tamen tota perſona diuina dicatur : ſecus ſi ſola perſonalitas. Probatur pars affirmatiua : quia, ſi ſubſtantiuè accipiatur, & ponatur humana in recto, & in obliquo dicat perſonæ diuinam, dicitur, quod ad operationes redemptorias, & ſatisfactorias principium eſt. Similiter, ſi accipiatur adiectiuè, diciturque perſonam in recto, & humanitatem in obliquo : ergo deſignatur cauſa redemptionis, & ſatisfactionis, quæ verè fuit, ac proinde dicuntur verè. Sin autem ſola dicatur perſonalitas diuina, erunt falſæ propoſitiones, ſiue homo adiectiuè, ſiue ſubſtantiuè vſurpetur : quia perſonalitate non ſanctificatur, aut dignificatur humanitas : quare non dicitur principium adæquatam redemptionis, quoad phyſicum, & morale, quod includit : atqui quoties verumque claudit prædicatum, ſicut nonniſi ob vtrumque habetur, ita nonniſi ob vtrumque conuenire ſubiectio verè dicitur abſolutè, vt bene Vvadingo proximè s. *Notandum ſecundò* : neque hæ propoſitiones admittendæ ſunt : *Chriſtus, qua Deus nos redemit, ſaluauit, pro nobis ſatisfecit*, ſiue adiectiuè, ſiue ſubſtantiuè Deus accipiatur, vt idem author ibidem obſeruat. At verò prædicata moralia, quæ adæquatè à Deitate Chriſto obueniunt, cuiufmodi ſunt prædicata dignitatum Chriſti capitis Sacerdotis, Regis, Redemptoris in actu primo de Chriſto, quæ Deus eſt, dicitur optimè poſſunt ſpecificatiuè : quia tunc denotatur ratio, ob quam prædicatum ſubiectio conuenit, quæ verè eſt ratio conueniendi.

6 Dico vltimò : Propoſitiones de reduplicatiua ſpecificatiuè veræ ſunt quoties reduplicatiua cadit ſupra ſubiectum adæquatam primarium denominationis prædicati paſſiuæ, vel ſupra aliquid, de quo, an eſt denominationis ſubiectum per ſe ſit, dubitari aliquis poſſet. Exempla primæ : *Chriſtus, qua homo, mori mortuus, &c. eſt*, quæ ſunt veræ propoſitiones, & de fide. Secundæ partis exemplum eſt : *Chriſtus, quatenus homo, eſt filius naturalis Dei* : quæ, & eſt apud Patres propoſitio frequens, noſtræque, & plurimum iudicio de fide etiam. Ratio eſt prompta : quia denominatione reduplicatiuæ ſpecificatiuè acceptæ tantum eſt denotata in termino, ſupra quem cadit, cauſam eſſe, cur prædicatum conueniat toti ſubiectio : atqui cauſa materialis primaria, & per ſe denominationis prædicati abſoluta cauſa eſt, cur prædicatum conueniat ſubiectio toti : ergo rectè poterit reduplicatiua ſpecificatiuè accepta deſignari : atqui in præſenti caſu deſignatur cauſa materialis per ſe denominationis ſubiectio totius : ergo rectè poterit deſignari.

QVÆSTIO II.

Dicere Christus, vel etiam Deus per communicationem idiomatum possit creatura?

LIBERANDI fidem q. 1. cert. 2. num. 3. & 4. op- pignoratam circa huius propositionis veritatem Deus est creatura & tempus adest, & locus.

CERTAMEN I.

Veritas eius propositionis adstruitur.

¶ Quoniam quidem, quæ de Christo absolute ratione alterius naturæ dicuntur, de concreto alterius absolute per idiomatum communicationem dici possunt, ne cogantur admittere absolute Deum dici creaturam posse, negant nonnulli absolute Christum esse creaturam. In his videtur esse S. Th. 4. contra Gentes c. 48. vbi Ferraria, & in 3. d. 11. q. 1. a. 2. Ricard. q. 2. Argent. a. 2. & 3. Capreol. vn. a. 1. probatione conclusionis 1. Scot. q. 1. §. *et in illo opinio* Durand. q. 1. num. 1. 1. Paludan. q. vn. opin. 3. Marfil. q. 9. a. 1. Canus de locis 12. c. 11. Nec dubium est, quin ex voces in Ariani odium negandas Catholicis, negatæque à Patribus nonnullis fuisse. Sed citati Doctores non ideo solum, sed ob improprietatem eas negarunt. Verum S. Th. 3. p. q. 16. a. 8. solumne Arianismus detur occasio negavit, sicut, & subiectionem Deo q. 20. a. 1. ad 2. proprioque sensu admitendam esse utramque Christus, & Deus est creatura docet Valquez d. 65. c. 2. & 3. n. 18. §. *denique* cum S. Bonau. in 3. d. 11. a. 2. q. 1. corp. & ad 4. Gabr. q. vn. not. 3. a. 2. concl. 1. & 2. Caiet. 3. p. q. 16. a. 9. & 10. Soares coment. a. 8. §. *Dico secundò*. Vvaldens. t. 1. lib. 2. doctrinal. fidei c. 42. circa fin. VVadingo d. 13. dubio 4. §. *Dico tertio*. Idque probabile reputat Scorus quibus, & nos subseribimus.

¶ Probatur ex frequenti usu Patrum, qui Deum, & Verbum creaturam dicunt. Naz. orat. 38. de natiuit. qui est sit, qui creatus non est, creatur. Repetit orat. 42. 2. in Pascha: ad quæ Nizetas ea ratione fieri ait: *quis propter hypostasisum identitatem, mutuique alterius naturæ in alteram, transiens altera natura alteri proprietates suas communicat*. Concludit ferè statim: *Enimverò eum, qui est fieri, & eum, qui est increatus, creari, tametsi mirabile est, non tamen id secundum mutationem* (Eutychno transitu, & confusione) accipiendum est, verum secundum assumptionem. Damasc. 2. de fide c. 4. & lib. 4. c. 5. & 19. Deum Verbum ob personalem vnionem dicit inter alia creaturam. Nyssen. hom. 13. in cant. ante med. increatum dicimus Verbum, quod in ipso rerum existebat creatum autem illum dicimus, qui caro factus est. Cyrill. Alex. to. Thec. 4. cum ipse natura increatus sit, & omnium Dominus, & creator, creatura etiam factus primus inuenitur inter omnes homines. Sophron. in sua epist. Synodo 6. act. 11. approbata act. 13. *Afferimus huic ipsum creatum, & increatum*. Hilar. 12. de Trinit. negat Christum Arrianè esse creaturam, at idiomatum communicatione sic loquitur: *filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura*: (Ad Galat. 4. factum ex muliere) neque tantum factura, sed etiam creatura: Ad Ephes. 4. qui secundum Deum creatus est.

¶ Hieronym. magn. commentar. in epistolam ad Ephes. ad id: *ipsius enim factura sumus*, argumento à deteriori ad melius in eandem sententiam scribit. Nos liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem verum, & hominem, & crucifixum, &

maledictionem tota spei nostra fiducia confitemur. Scio hunc, & Cyrillum 5. Thes. alio etiam morali sensu explicare Verbi creationem, non autem proprium hunc sensum negando. August. de fide, & Symbolo c. 4. sub init. *Eadem sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari*, serm. 12. de temp. sub. init. *Propter nos creatus est creator*. serm. 58. de verb. Dom. ad id Prouerb. 8. *Dominus creauit me*. Arrianis contententibus inde Verbum esse creaturam respondet dictum: *quia propter vnionem vnique substantia propria utriusque aptanda sunt*. Fulgentius de fide ad Petrum c. 2. *quia autem creator est commune habens naturaliter cum Patre, & Spiritu sancto, quia autem creatus est formam serui, secundum quam creatus est* &c. vbi priusquam reduplicatiua designaret, rationem cur creatus diceretur creatum, absolute dixit. M. Gregor. 5. Moral. c. 25. *quia diuinitatis eius status capi ab humana mente non potuit, hunc se nobis ad nos veniens creatus natus mortuus* &c. quasi transcendendo monstrauit.

¶ Leo serm. 3. Pentec. *si enim homo ad imaginem Dei factus in sua honore natura mansisset, creator mundi creatura non fieret*. Vigil. Pa. 5. contra Eutychem. t. 5. Bibliot. docet Christum creatum esse, & increatum. Concil. Lateran. sub Martino 1. *conditum, & inconditum*, eum absolute appellat. Quæ omnia pluræque alia, quæ recitat soan. ad ar. 8. quæstionis 16. adeo aperta pro nostra conclusione sunt, vt nullæ egeant ponderatione: quia, cum eorum plura Arrianorum temporibus fuerint prolata, quo tempore periculum in eis esse poterat, ostendunt nonnisi per summam proprietatem, Patres fuisse locutos. A ratione probatur: quia, vt Patres afferunt, eadem persona, quæ accepto adiectiue nomine Deus, & Christus in recto significatur, habetque Deitatem increatam, & creatricem, habet humanitatem creatam, & creaturam; ergo non minus proprie dicitur creatura, & creatus, quam creator, & increatus, imò quàm reliqua, quæ ratione humanitatis, quam habet, per idiomatum communicationem absolute dicitur: vterius de quocumque proprie dicitur absolute species aliqua, dicitur proprie absolute genus: atqui creatura, vel ens creatum genus est respectu speciei hominis: ergo de quocumque proprie absolute dicitur homo proprie absolute dicitur creatum, & creatura. Atqui homo proprie absolute dicitur de Christo, & Deo per idiomatum communicationem; ergo de eis proprie absolute dicitur creatum, & creatura.

CERTAMEN II.

Difficultates conclusionis huius complanantur.

¶ Dices primo à nonnullis Sophronio, Vigilio, & Martino 1. non dici Christum, & Deum creatum, & creaturam solum, sed simul increatum, inconditum, & creatorem. Sed quid de aliis dicent, qui vtrumque ex parte prædicati non coniungere? Secundo neque ex parte prædicati coniungunt ab eis vtrumque poterat absolute, nisi seorsum vtrumque subiecto absolute conueniret, Tertio in apertum exemplum communicationis idiomatum, quam tradebant, vtrumque coniungebant, non quia alterum sine altero absolute de eis prædicari non posset: sicut corporeum, & incorporeum, ad eisdem communicationis exemplum simul de eisdem prædicabant, vt videre in horum testimonio est: cum tamen alterum sine altero dici absolute de Christo, & Deo per idiomatum communicationem proprie per aduersarios queat. Quarto: id ita, vt Arrianorum vel Nestorianorum erroribus cautum esset, non ob improprietatem dictum crede: quemadmodum & Patres aliquot absolute creaturam Deum, & Christum quandoque negarunt. Basil. 2. contra Eunom.

Eunom. Ambros. 1. de fide cap. 6. & 7. & lib. 3. cap. 7. Cyrill. 10. Thes. cap. 4. Chrylost. hom. 3. ad Hebræ. in id cap. 1. *Dilexisti iustitiam* Ioannes Maxentius 1. 5. Biblioth. dialogo 2. contra Nestorium cap. 18.

2. Multis hic Vasquez contendit nomen creaturæ, & creationis non pro quacumque re denuo producta, nouaque quauis productione vsurari, sed pro stricta productione rei ex nihilo, quam Deus solus potest exercere, & circa materiam, & animam Christi continuata productione, & conseruatione exercuit, exercebitque: sed certe ea etiam composita, quæ forma constant educibili, eiusque educatione fiunt, à Deo creati dicuntur, ut cibus, & pleræque alia 1. ad Timot. 4. Sap. 5. & 16. & Genes. 1. cælum, & terra creati dicuntur laxiori quidem nominis acceptione. Et quidem, cum vnio animæ, & materiæ Christi: ac proinde totum ex illis constans per se educi, ac non creati in Vasquez ipsius, & omnium sententia certum sit: nescio quo pacto per se rigide ratione humanitatis totius, à qua, non autem ab eius partibus, denominationes, quæ per idiomatum communicationem Christo, ac Deo conueniunt desumantur, propriè, & per se creatum, & creatura strictè, ac rigide dici, in eius etiam sententia queat. At obicit Vasquez, si creatum absolute, & creator in actu, à quauis productione dici agens possit, ac non ab stricta solum creatione: ergo affectus omnes creati à suis agentibus creati creati, atque illi creatores eorum dici absolute poterunt. sed refert id quidem parui.

3. Vadingo d. 13. dub. 4. num. 55. §. *Dico tertio* circa med. nō admodum refugit consequentiam: imo tacitus videtur admittere: id quod in sensu, & acceptione laxiori parum, nihil videtur absurdi continere, si rationi stemus. Quid enim absurdi erit agentia laxiori acceptione creationis creare. Sed ramen, quia à nemine admissam vidi, nego consequentiam, tanquam absurdam. Neque enim cuius ex causis requisitis ad effectus productionem huius denominationes omnes attribui debent. Ecce ab eadem indiuisibili, etiam formaliter in mea sententia in actioneeductina, quæ ipsissima passio est, materia, & subiectum pati, efficiens vero principium agere dicitur: atque ab eadem indiuisibili visione animal videre dicitur non autem species, à quibus etiam effectiue visio procedit. Cuius ratio est: quia denominationes plures præter formam, à qua sumuntur, vltèrius aliquid in subiecto denominato requirunt, & connotant, ut Symitas, & alia plura. In re igitur præfenti creandi adhuc laxè denominationis non solum productionem requirit, sed ex parte agentis sic denominandi virtutem creatiuam, à qua actioeductina, licet non formaliter, & per se, saltem materialiter oriatur, & fluat: cum autem potentia hæc essentialia in solo Deo sit, non in agentibus creatis, hæc nullatenus adhuc laxè creare, effectiue ab illis creati denominantur, sed à Deo, licet ab illis etiam eadem actione producantur.

\*\*\*

### QVÆSTIO III.

An Deus, & Verbum incipit esse per idiomatum communicationem dici posse?

**S**upponitur hanc propositionem *hic homo*, signato Christo, *Christus*, vel *Iesus*, aut *Emmanuel incipit esse*, esse veram, ac proinde ratione personæ directè significatæ à subiecto, quæ eadem est, ac Dei adiectiue sumpti, videtur per propriam idiomatum, & formalem communicationem de Deo idem affirmari posse prædictum: quare primæ illius propositionis sensus verus statuendus primo erit:

### CERTAMEN I.

*Veritas primæ propositionis, eiusque sensus statuitur.*

**D**E nomine *hic homo* adiectiue significare, ac pro persona supponi constat, tum ex dictis, tum ex dicendis d. 3. q. 1. idemque est de nominibus, *Iesus*, & *Emmanuel*, quæ personalia dubio procul sunt, licet iuxta suam etymologiam alter *Deus nobiscum*, quare in recto Deum significet, alter saluatorem, quare humanitatem in recto, & Deitatem, quæ opera ad redemptiuum valorem dignificanda erant, in obliquo. De nomine *Christus* Vasquez d. 69. cap. 2. num. 6. 3. *Emmine*, varias apud Patres acceptiones esse docet. Atque apud Damascen. 3. de hde cap. 3. sub init. & Nizetam. 3. Thes. cap. 3. esse nomen personæ in recto cum duplici natura; apud eundem vero Damascen. 4. de fide cap. 6. Origenem in id Ioan. 1. *In principio erat Verbum* explicantem illa Psalm. 44. *Propterea vnxit te Deus Athanas. orat. contra Arrian. post scrm. 4. in ea verba ex *Deus est Verbum* Paulinum Aquilens. lib. sacrosyllabo in Concilio Francfordiense med. pendente contra Felicem, & Elipandum Petri confessionem Math. 16. *Tu es Christus filius Dei viuis*, & Concilium Francford. §. *in fine* libro sapientia ad ea 2. ad Titum. *Et aduentum gloria regni Dei* Fulgentium 3. ad Trasimund. cap. 13. init. & 14. post med. & fin. esse nomen naturæ humanæ vnix Deitatis, & personæ diuinæ vniguento, quod connotet in obliquo. Sed tamen arbitror hos Patres nominis etymologiam explicasse, non vero aliquam acceptionem tradidisse à prima: ac proinde Christum significare communi acceptione personam cum duplici natura, diuina, & humana.*

2. Hanc igitur propositionem *hic homo incipit esse*, designato Christo falsam in sensu proprio docent S. Th. q. 16. a. 9. cum Caietano, & affectis Capreol. in 3. d. 11. q. vn. a. 1. concl. 2. Ricard. a. 3. q. 1. Maior. q. 1. post med. Palud. d. 12. q. vn. a. 3. pun. 2. concl. 2. Soar. citata q. 16. a. 9. §. *Nihilominus*. Et Caietanus quidem refert à doctoribus Parisiensibus esse damnatam, & in appellationis gradu ab Alexandro Pa. 6. sed huius damnationis nullum extat fundamentum firmum: Parisiensis vero, sicut aliis euenit, dum gallo impetu potenter sequantur negligit, in fluuio suffocata inde non stantibus, quod ipsum de similibus *Christus Emmanuel incipit esse* docere idem Scholastici videntur. Magist. in 3. d. 11. c. vlt. S. Bonau. a. 2. q. 2. Bassol. q. vn. a. 3. §. *Dico ergo*. Durand. q. 1. num. 7. sub distinctione docent. si *hic homo* referatur ad personam diuinam falsas eas propositiones esse, secus, si ad naturam humanam, vel personam ex hac etiam constantem. Scotus in 3. d. 11. q. 3. Lichetus q. eadem Alexand. 3. p. q. 6. m. 1. §. 1. Wadingo d. 13. dub. 4. §. *Dico quinto*, veramque propositionem in sensu proprio veram esse docuerunt. Consentit Vasquez proximè c. 4. idem de omnibus enumeratis docet: illa excepta *Emmanuel incipit esse*. Sed nec eam quidem excipi voluit Bernal d. 46. sect. 2. §. 3. qui enumeratas omnes in sensu proprio veras omnino censet, cui & nos subscribimus conclusionibus subiacendis.

3. Dico primo: *Christus incipit esse* vera in sensu proprio absolute est. Probat: quia *Christus* substantiale, & substantiuum concretum est, quod si substantiue, & pro naturis coniunctum in recto, & persona diuina in obliquo; vel sola humanitate in recto, & deitate, ac personalitate diuina in obliquo accipiatur, verum omnino est veramque naturam, vel humanitatem cum deitate, ac personalitate diuina, ac proinde Christum, qui essentialiter ea omnia dicit, & claudit, incepisse esse in tempore, ante quod absolute non fuerat: cum ante illud pars ipsius essentialis, scilicet humanitas,

humanitas, & vno hypostatica absolute nõ fuerint: maxime, cum sic accepto *Christus* rectum, cui concordat incipit, sic coniunctum ex vtraque natura, vel humanitas sola non sola Deitas, sed est adiectiue, & pro persona *Christus* accipiatur ( vt vulgare apud Patres est) atque in rem personam diuinam, cui concordet *incapisse esse* significet: at non illam secundum se nudè, quo pacto æterna est, sed vt habentem humanitatem vnicam, & Deitatem vngentem, siue vngentum, significat: ea verò ratio æterna non est, sed temporalis, & quæ incarnationis tempore capit: ergo tunc incapisse esse habentem Deitatem de persona Veri verè dicitur. Vnde bene Athanas. serm. de Epiphany. Cyrill. Alex. de recta fide ad Theodos. longe à med. de recta fide ad Regim. longè ab init. Damascen. 4. de fide c. 6. & de incarnat. & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 10. à momento duntaxat incarnationis Verbum, & fuisse, & dici Christum obseruatur. Confirmatur argumento Scoti: quia, licet subiectum albedinis huius informationi præxiterit, tamen vt album, non existit, nisi eo tempore, quo albedine informatur: tuncque, vt album incipit esse non antea: atqui Verbum nomine *Christus* adiectiue sumpto non significat Verbum secundum se, sed vt habens vtramque naturam humanam vnicam, & diuinam vngentem: ergo, ex quo tempore eas habuit, dici debet incapisse, vt nomine *Christus* significatur. Vnde constat non inde inferri posse, ergo Verbum quod est habens incipit esse: tã variatur appellatio à formali ad materiale subiecti.

4. Dico secundò: *Hic homo, Iesus, Emmanuel* incipit esse, verè in sensu proprio dicuntur. Probatur facillè ex dictis: quia, siue in recto dicant naturam, siue personam, eas tamen dicunt, vt coniunctas, & vnitã hypostaticè, quo pacto in tempore esse experunt. Licet autem *Emmanuel* iuxta vocis ethymon, *Deus nobiscum* significet, ac Deitas, quæ in recto dicitur æterna sit: at verò, vt nobiscum per vnionem ad humanitatem est, ab æterno non fuit, sed per incarnationis tempus esse cepit. Præterquam quod, licet ea nominis huius ethymologia sit, tamen ad significandum hominem Christum, siue habentem humanitatem impositum est, vt docebamur num. 1. Denique conclusio tota, imò & præcedens confirmabitur amplius ex dicendis certam sequenti.

Dices contra has conclusiones, Iesum, & Christum dici ab æterno absolute fuisse ad Hebr. *Iesus Christus huius huius ipse, & in secula.* & Ioan. 1. *Hic est de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est:* ac rursus Cap. 17. *Clarifica me, &c. Clarifica, quam habuit, prius quam mundus esset.* Sed hæc per idiomatum communicationem dicta de homine Christo ratione Deitatis sunt: quæ non obstant, quominus de eodem ratione humanitatis incapisse esse absolute dicantur.

CERTAMEN II.

*Deus, Verbum, Dei filius* incipit esse, verè in sensu proprio dicuntur, sed cautè, ob scandalum.

R. Eiciunt propositiones istas Alex. Magister. S. Th. S. Bonau. Bassolis Ricard. Maior. Gabr. Scot. Licher. Durand. Caiet. Capreol. Vasquez, & Soar. citati. Petrus Hurtado d. Ratio communis diuersimodè efformata vnicè est, quod vnumquodque per suum esse intrinsecum, quo absolute in se est, incipit absolute esse, non autem per extraneum, quo non absolute, sed taliter est. Cum autem esse hominem, extraneum esse, sit Deo, & Verbo, & per quod intrinsecè in se non sint, intrinsecum autem, & per quod in se *Deus, & Verbum* diuinum, sit & æternum; quod vniquam capit, licet esse homo caperit *Deus*, quantum  
*R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.*

do homo capit; Nusquam inde incapisse esse absolute *Deus, & Verbum* dicitur. Cæterum eas propositiones proprio aliquo sensu veras esse docet Vvadingo d. 13. dub. 4. num. 58. §. *dico quinto*, & sequentibus; vbi indifferenter has, & illam *Christus incipit esse* docet, & probat. Docet item speciatim, & in terminis Bernal d. 46. sect. 1. licet male probet veras per idiomatum communicationem esse: qua de re toto cert. 3. idem, ni memoria cado, docuit Lorca non bona fide Scorum referens. Probare quis possit: quia esse hominis, substantiale cum sit, est esse simpliciter: ergo, qui illud esse denovo habet in tempore, sicut *Deus*, qui ex incarnatione habet esse homo, dicitur incipere esse absolute, & simpliciter, est æquiuocatio præclusa per aduersariorum rationem. Solum enim est quæstio an esse adueniens iam constituto Deo per suum esse proprium intrinsecum, possit illum denominare incipientem absolute esse, siue adueniens sit substantiale, & simpliciter esse, vt contra esse accidentale diuiditur, siue non. Etenim esse dentium esse substantiale dentium asserit, atque eo sensu esse simpliciter, & tamen nemo cum dentes illi nascuntur dicitur incipere absolute, & simpliciter esse, vt bene Vvadingo.

2. Dicendum est cum Doctoribus secundæ sententiæ eas propositiones veras in sensu proprio esse. Probatur bene Vvadingo. *Deus* vero, & sensu proprio absolute mortuus est, quia humanitas assumpta verè, ac proprie mortua est: ergo vero, & proprio sensu dicitur, *Deus incipit esse absolute*, quia humanitas assumpta incipit absolute esse. Probatur consequentia: quia mortuus non minus dicitur absolute, non esse intrinsecum mortui à parte post, quam incipere esse absolute non esse intrinsecum à parte ante incipientis: atqui vtrumque æquè pugnat cum æternitate Dei, & verbi secundum esse intrinsecum. Ergo si ea repugnantia non obstante ratione humanitatis dici de eo absolute potest non esse à parte post, ratione eiusdem dici de eo poterit absolute non esse à parte ante.

Dices nomine mortis, quæ dicit separationem animæ à corpore satis innui non esse, quod per illam absolute tribuitur Deo ratione humanitatis ipsi competere: inceptionem autem non ita, nec humanitatem: ac proinde cum absolute non esse à parte ante, per inceptionem absolute prædicatur de Verbo Arrianimum sonare, ac de esse intrinsecò Dei videtur intelligi. Contra primò: quia mors absolute solum dicit non esse viventis, quod præiuxit, quæ simpliciter substantiæ viventis esse potest: quare morte insuitur humanitas, quæ Deo secundum se non esse à parte post repugnet: cum autem ei etiam secundum se repugnet non esse à parte ante humanitas, siue eius non esse, æquè Catholicis inuictur, compertumque erit de non esse Dei intrinsecò à parte ante non esse sermonem æquè, atque à parte post. Hæreticis autem, & gentilibus æquè sonabit Desitionem absolute intrinsecè esse Dei *Deus est mortuus* absolute dictum, atque non esse intrinsecum Dei *Deus incipit*: vt Patribus dicentibus *Deus est mortuus*, absolute doctores Ethnici sæpè obiecebant.

3. Probatur secundò: quia in omnium sententiã hæc propositio est vera in sensu proprio, *Deus, aut Verbum in quantum homo incipit esse*, atque in terminis sæpè æquualenter verò passim apud Patres inuenitur: ergo, & hæc est in sensu proprio vera, *Deus, aut Verbum incipit esse*. Probatur consequentia: quia prima illa propositio non est de reduplicatiua specificatiua diminutive, vt hæc *Ethiops est albus secundum dentes*, sed de reduplicatiua specificatiua non diminutive, siue strictè specificatiua, vt fatetur Vasquez contra quem agimus, d. 67. c. 3. §. *Ratio verò* num. 11. veru cæterum licet: atqui propositio de reduplicatiua specificatiua strictè, siue non diminutive resoluitur in tres propositiones: alteram, qua de illius subiecto absolute enuntietur prædicatum; alteram, qua terminus specificatus

RRR de

de eodem subiecto prædicetur: alteram, qua dicatur terminum specificatum esse causam, ob quam prædicatum conueniat subiecto, quod si ex tribus aliqua vera non sit, neque propositio reduplicatiua specificatiua strictè vera erit: ergo hæc illarum trium absolutarum in quas resoluitur continet veritatem: ac proinde ex specificatiua strictè ad singulas, & omnes absolutas illas valet consequentia: atqui tres, in quas præfens reduplicatiua specificatiua strictè resoluitur iuxta generalem præfatam regulam, hæc sunt, *Deus incipit esse homo incipit esse*; & *quia Deus est homo incipit esse*: ergo ex reduplicatiua specificatiua strictè *Deus*, aut *Verbum in quantum homo incipit esse*, quæ vera in sensu proprio est, tenet consequentia ad hanc *Deus incipit esse*, vt vera in sensu proprio sit admitenda: quod si hanc falsam asseras in quouis proprio sensu, & illam de reduplicatiua specificatiua strictè, in qua continetur, falsam in omni sensu proprio fatearis necesse est.

4 Tertiò probatur conclusio: quod sensu proprio verè recens esse, initium, & temporalitatem sumere, & subire dicitur, verè dicitur incipisse esse: atqui *Deus*, & *Verbum recens esse, initium, & temporalitatem subire, sumere* que à Patribus, ac proinde vero in sensu proprio dicitur: ergo verè etiam in sensu proprio *incipisse esse* dicitur. Maior probatur: quia nullo vero sensu aliquid recens, initium sumere, aut temporalitatem subire dicitur, quod ante illud tempus habuerat esse; sed quod ante illud esse non habebat, quod tunc primum habere eis vocibus designatur: quod ipsum est incipere absolute esse: quare nequeunt ea de aliquo dici absolute, de quo eodem sensu incipere esse absolute dici nequeat. Minor suadet ex Sophronio epist. sæpe citata synodo 6. act. 11. ante med. dicente *recentem hunc ipsum, & sempiternum appellari*. Vbi licet de Christo loquatur, cum hunc ipsum dicit recentem, & sempiternum; de verbo, & persona diuina, quæ sola eadem, & hic ipse est, utrumque habere in Christo potest, se loqui satis significat: quin de Deo sub Dei nomine dixerat antea, *intemporeus principium recipit temporale*. Nazianz. orat. 38. seu de Natiuit. tempore *vocatum initium sumit*. Nizetas ibi ad ea verba *clamat Ioannes ait: Deum principium ortus assumpsisse* Leo 1. serm. 3. de Pentecost. supra recitatus aiebat: *si primus homo etc. nec sempiternus temporalitatem subiret*. Aug. serm. 2. de Natiuit. qui in principio erat ex Matre *sumpsit principium*: serm. 12. effector temporum *temporalu effectus est*. Qui sanè omnes Dionysium de diuin. nominib. c. 1. vers. med. ita loquentem imitantur: *temporisque prorogationem accepit, qui æternus est*.

5 Respondet Vasquez sensum illius propositionis *Deus est recens* (nil enim aliis respondet) eum esse, *Deus factus est aliquid, quod est recens*. Sed idem dicat de sensu huius *Deus incipit esse*: id est *factus est quod incipit esse*, atque eo sensu proprio admitrat, vt contendimus, utramque. Item, cum id totum *Deus esse* dicatur, quod factum est sensu proprio, admitrat sensu proprio, & Deum recentem, & esse incipientem. At inquit Bernal. sect. 2. §. 2. versu in altero tituli *questio* ea à Patribus absolute non dici de Deo nudè, sed vel designando naturas diuersas, vel ponendo terminos implicatorios ad sonum, vt statim naturarum diuersitas aduertatur, ratione quarum ipsi ea prædicata opposita conueniant. Sed contra: quia mysterij ignaris plus scandali in apertione contradictionis erit ignaris verò satis repugnantia, nomine *Deus* cum inceptio, & initio temporis, & temporalitate ostenditur, vt id ratione humanitatis assumptæ de Deo prædicari cognoscat. Contra secundo: quia, licet ob diuersitatem naturarum ea Patres de Deo opposita prædicent, aut absolute prædicant, quin addant, cum alterum dicunt, secundum naturam diuinam, siue quatenus *Deus* est, quando verò alterum, secundum humanitatem, siue quatenus homo est: quod præstare deberent, si ea à nobis non esse absolute de Deo proferenda do-

cere voluissent. Contra tertiò: quia Patres designata naturarum diuersitate æque, atque vniiformiter prædicant de Deo alia ipsi secundum se repugnantia, quæ per omnes absolute de Deo prædicantur, atque hæc est *recens, temporalis, habens, vel sumens initium*, vt videre est in Sophronio vbi proximè §. credo, & de hoc initio, & ante med. aliisque Patribus passim; ergo, & hæc absolute de Deo dici possunt, & ratio generalis pro omnibus est: quia, quæ per idiomatum communicationem de Deo dicuntur absolute, dicuntur verè, & propriè de illo: atque hæc prædicata, sicut & alia, quæ ipsi secundum se repugnant, per idiomatum communicationem de Deo dicuntur, vt iam ostendimus: ergo verè, & propriè de eo absolute dicuntur. Sed tamen monitum Lectorem velim, ne apud mysterij huius ignaros, imò neque Scholasticæ Theologiæ indoctos hanc propositionem *Deus incipit esse*, & similes à Patribus datas vsurpet, ne eis scandalum apponat, non adeò frequentibus, & vitæ vulgo locutionibus.

## CERTAMEN III.

Deus incipit esse per idiomatum communicationem enuntiatur.

1 Conclusio hæc meo iudicio omnium est controuersia huius difficillima: est tamen expressa Bernalis vbi proximè num. 34. & tota sect. 1. & licet non adeò in terminis Vvadingo proximè num. 57. §. 2. quarta sub med. Verbo *Sophronius*. Difficultas in eo stat: quia in propositionibus, quibus aliqua per idiomatum communicationem de Deo dicuntur verè, *Deus* pro persona, siue personalitate supponitur, eamque in recto dicere debet, vt d. 1. q. 2. ostendebamus: qui persona, siue personalitas diuina etiam, vt habens Deitatem esse in tempore incipere non potest, sed prorsus ab æterno est. Ex alia verò parte clarè adeò Patres hanc propositionem: *Deus est mortuus*, in qua eadem est prorsus difficultas, veram per idiomatum communicationem esse docent, vt illam inter reliqua communicationis idiomatum exempla recensent, pro vtraque defendenda, vno eodemque labore insudandum Scholasticis erit. Bernal. sect. 1. citata num. 7. versu *Horum omnium ratio*, ad prioris ad sua concreta extra essentialia recurrit, quibus per totam idiomatum communicationem non nimis fauult cucurrit. At ergo sensum esse *Habens extra essentialiter Deitatem*, seu, quod idem est, *homo mortuus est, vel incipit esse*. Concreta extra essentialiter accepta ad communicationem idiomatum indagauit d. 1. q. 2. rursum que impugnet: quia sic non datur vera idiomatum communicatio, sed illusoria: quia diuina solùm de Deo, non de homine, qui extra essentialiter acceptus *Deus* est non homo, & humana de homine non de Deo, qui extra essentialiter acceptus homo est non *Deus*, prædicantur.

2 Sed specialius in re præsentis arguo: quia iuxta hæc doctrinam, vt sibi obiicit Bernal. §. suboritur dubium, *Verbum secundæ personæ, vel filius æternus incipit esse, aut mortuus est*, dici verè non posset: Nam homo, qui significatur eis concretis extra essentialiter acceptis, claudit suppositalitem in recto Verbi, & filij, seu secundæ personæ: quare de eo non poterit verificari habere extra essentialiter verbalitatem, filiationem, & secundam personalitatem: hoc autem partim est contra Patres expressè, & ex toto contra ipsum Bernal. Respondet constitutum adequatum Verbi, & filij, ac secundæ personæ non esse solam personalitatem, aut relationem, sed essentialiam, homini, siue habenti humanitatem, extraessentialiam, sed contra: quia sola personalitas sine essentia est constitutum personæ, & Verbi, licet eam essentia diuina essentialis cuique personæ sit: at id quod commune est non appellatur personæ constitutum, sed quod

quod speciale est unicuique, vt constat ex controu. de Trinit. d. de constitutione personarum. Imo, & in physicis materia quæ communis compositis est, nullius ratio constitutiva dicitur, sed sola forma. Sed quidquid de hoc sit: vel personalitas secundæ personæ, siue verbalitas, seu ratio specialis Verbi, formaliter differt ab essentia diuina, vel illam includit. Si primum cum homo solum dicat formaliter personalitatem, licet essentia extra essentialis sit, aut personalitas, quam in recto dicit non est extra essentialis ipsi. Si autem personalitas essentialiter in sua formalitate claudit essentiam, homini, qui dicit in recto personalitatem, neque esse extressentialis essentia diuina, vt contendis.

3 Ratio ergo eius locutionis Patrum, *Deus est mortuus subit initium, est recens, seu incipit esse*: & difficultatis eis omnibus propositionibus communis desumi ex eo posse videtur, quod personalitas de suo formali conceptu non claudit esse, siue existentiam, sed existentiam, & entitate essentia, cui identificatur iure identitatis sit ens, & existat: cum autem æternitas, existentiam, & entitatem, siue esse diuinum, vt attributum formaliter consequantur, personalitas præcisè æternitatem minimè habeat formaliter: quare de duratione naturæ, cui formaliter, & præcisè sumpta adiungitur, cuiusque denominationes alias subit censeripotero. Cum autem in hac propositione *Deus est mortuus, incipit esse, rectum solum dicat personalitatem præcisam*, non dicit æternitatem: prædicatum autem illam remouet præcisè in audientium mente, solumque illam ex humanitate, cuiusque duratione censer, non ex propria, & physica intrinseca duratione æternitatis. Sed contra est: inceptionem, & destitutionem physicam dicere physicam negationem essendi rei, siue absolutum physicum non esse illius à parte ante, vel à parte post, cui non satisficit eiusmodi præcisionibus metaphysicis. Deinde fallum est personalitatem, licet de suo conceptu formali, non dicat existentiam, siue entitatem posse existere, & esse, atque durare absolute existentia, & duratione humanitatis, cui adiungitur per vnionem.

4 Solida ergo ratio est & planior, inceptionem & destitutionem rerum, quæ ante incarnationem dicebat absolutam negationem intrinseci solum, & essentialis esse earum post incarnationem, atque in idiomatum communicatione ex vsu Patrum extensam esse, vt significet etiam negationem absolutam alterius esse non intrinseci, & essentialis, cum quo tamen personalitas, de qua inceptio, vel destitio enuntiantur, vnium suppositum, & personam constituat, vt sic clarius contra Nestorium, vnitatem personæ in Christo docerent, & contra alios non esse phantasticam, sed veram, & substantialem humanitatem assumptam. Nec mirum, quod extensæ à Patribus ex voces ad eiusmodi significationem sint: cum illud esse humanitatis assumptæ, & absolute ac simpliciter esse sit, atque absolute vnium cum personalitate aliena, æquè atque cum propria constituat, ac proinde deesse alienæ, vt sic loquar, naturæ, perinde atque de esse propriæ personalitatis censeatur.

Dices ergo, poterit dici absolute: Deus ante incarnationem non fuit, vel non fuit ab æterno. Respondeo eodem modo argui ex illa propositione ab omnibus admittenda, Deus est mortuus. Respondeo nostras propositiones non licere per negatiuas hæcè resoluere: tum quia ex vsu Patribus, & Scholasticis nunquam fuisse, tum quia ob malignantem negationum naturam scandalosiores sunt, quam per nomina positiua inceptio-nis, quæ ipso sono ratione alicuius positiui esse extrinseci Deo conuenire demonstrant, quod negationibus non insinuantur.

Obicit Hurtado Deum per communicationem idiomatum non dicens, siue existere: ergo nec per illam dicitur incipit esse. Non vrget: quia prædicata vtri-que naturæ communia de neutra per communicatio-nem. *R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.*

nem idiomatum dicuntur: sed quæ ita alteri conueniunt, vt alij non competant: esse autem, & existere, commune vtrique prædicatum est; aut incipere esse ita humanitati conuenit, vt Deitati non conueniat: quare hoc per communicationem idiomatum de concreto Deitatis dici potest, secus illud. Vide solutionem aliam difficultatis hinc versatæ à nobis datam d. i. q. 3 cert. 3. n. 6.

DISPUTATIO III.

De reliquis modis loquendi in materia de Incarnatione.



BSOLVIMVS hætenus difficultates omnes, quæ circa modos loquendi per communicationem idiomatum in præ-senti materia de incarnatione possent occurrere. Iam de aliis loquendi modis, qui ad idiomatum communicationem non spectant, sed ex aliis pendent principijs singularitatem disputandum erit.

QVÆSTIO I.

An verè, & propriè assumpsisse hominem dicatur Deus?

Locutionis, modique solum dicendi quæstio hæc inter Catholicos est, quibus planè contra Eusebium, & Nestorium conuenit Dei filium naturam humanam physicam ad seipsum hypothetica vnione assumpsisse: ita, vt veraque natura, & hominis, & Dei inconfusa, neque altera in alteram conuersa periret non autem assumpsisse humanam personam. Atque id quidem rite, rectèque hac propositione *Deus assumpsit humanitatem*, à Theologis explicatur. An verò itidem eadem Catholica veritas sermonis, & sensus proprietate & rigore, præfixa etiam propositione *Deus assumpsit hominem*, verè proflus, & citra erroris periculum explicetur? in quaestione vocatur.

CERTAMEN I.

Nonnulla pro disputationis libertate, & expeditione prænotantur.

1 Aduertendum in primis est quaestio-nis huius (de modo loquendi, vt dixi, inter Catholicos) eò tandem litem totam deuolui: an scilicet, eadè propositione personæ humanæ à filio Dei assumptio significetur, licet physica vnionis (quam tamen negabat Nestorium, qui solum affectiuam Dei, & hominis vniones per excellentiæ gratiæ dona in Christo admittēbat) seminestorianismus contra fidem Catholicam admittēretur, quatenus duplex cum Nestorio persona in Christo admittitur: Cum autem propositionum proprius sensus è propria vocum, quibus constat, significatione omnino pendeat; in vocis *homo* significatum proprium Theologicum examinandum trahenda lis erit: an personam humanam? An naturam solum? an vtrumquè significet?

2 Aduertendum est secundò nos de hac propositione

RRrr 2 tionē

tionem nudè, ac secundùm se sumptâ præsentem quæstionem exagitare: nullis in aliter sentientes dicitur, aut irrisionibus; nullis item particulis additis, quibus à sensus sui proprietate decidat, aut legentibus decidere videatur, siue in alium sensum possit à malè animatis astu defecti: id quod notatum maxime velim, vt malè de ea propositione censentium præcipuis obiectiõibus, & terriculamentis occurrat; libèrèque eius examen, & discussionem proponam. Aiunt enim, (& verè) iussu regij Senatus inquisitionis supremæ, commentarium Ludouici Viues totum capitulum 17. lib. 9. de ciuitate Dei, iam pridem fuisse oblitteratum: quod eam propositionem ibi à S. Augustino assertam defenderet: iussu item Toletani eiusdem inquisitionis tribunalis simili propositione à Doctore Ioanne Martinez Primario Theologia Complutenfis Magistro professore, in suis libris de generatione assertam additum fuisse *caute lege*, quasi non admodum tuti, sed obnoxij errori sensus.

3. Cæterum in Ludouico Viues fati ad eam sententiam peccati esset, vt non illud solùm, sed reliqua eius generis commentaria expungerentur. Animi scilicet elatio, quam id genus hominibus angustæ aded, ac limitatæ facultatis compræhensio plerumque facit: qua è Calepino solo grauioribus facultatibus melius aliis difficultates dirimerè præsumunt: id quod si legibus, ne ab ipsis vsquam tentaretur, cautum foret, Erasmus tot hæresum oua, quæ postmodum fouente, fauenteque Diabolo huiusæ sæculi nouatores excluderunt, minimè posuisset. Præterea Viues, Vasquio citando nobisque ipsis testibus, sola Theologorum vniuersim, ac proinde Theologiæ Scholasticæ irrisione eam propositionem ibi tuebatur: quo, & illud, & pleraque similibus irrisionum plena commentaria suspecta, in fide fecit: quæ, vt bonam omnem Theologiam Scholasticam prægignit, ita ab ea solum viriliter defenditur, & conseruatur; quare merito ea omnia abraça ab eius commentariis sunt.

4. Ioannes verò Martinez lib. 1. de Gener. c. 3. q. 1. conlect. 2. sub initio nudam eam propositionem non posuit, sed verbis hæc *verbum Dei, nedum humanitatem, sed hominem etiam assumpsisse*: quo aliquid aliud præter humanitatem assumptum à Verbo fuisse, ac proinde humanam personam eius emuli clamauerunt: licet ex contextu toto de vocibus illum, non de rebus assumptis, disputasse, docuisseque, perspicuum doctis, & sinceris omnibus fuerit. Sed tamen indoctis, & iis, qui cursim, ac sine contextus lectione, & peritratione in eum locum inciderant, ea nota præcauendum fuit, ne aberrarent. Ex quibus planè constat, nihil contra eam propositionem, quam hic examinamus actum hucusque à sanctæ Inquisitione fuisse, imò neque agi vsquam posse, quin, vt ait noster Vvadingo citandus, contra Ecclesiæ canones agatur.

5. Eius verò attentiori, dissentiorique examini è debita Patribus ( præcipuè Augustino magnæ Theologiæ Parenti ) Conciliis, & Ecclesiæ toti ( vbi frequentissima est eius propositionis vsurpatio ) obseruantia pro virili incubui, quod eam ab aliquibus non solum rejci viderim, sed accipi malè: errorisque, & hæresis ab aliquo, damnari: deceptis illis quidem erroris nota, quam 1. p. q. 4. art. 3. in corp. non huic quidem propositioni, sed primæ, quam Magister in tertio. d. 6. refert, opinioni Angelicus Præceptor iniecit: quæ res aded religionis nostræ sternachum mouit, vt in negatiuæ contradictriæ censuras pronus, imò præceptis etiam calamus irer, ni sancti Doctoris, & aliorum, quos, vt Magistros suspecto, amore, & obseruantia teneretur: idcirco hoc nostro singulari, improbòque pro Patrum, & Conciliorum frequentissima locutione, labore contentus rei totius iudicium Doctoribus permitto.

## CERTAMEN II.

*Eius propositionis veritas in proprio Theologico sensu Augustini, & plurimum Scholasticorum auctoritate salciur.*

1. **N**ullo proprio sensu Theologico eam propositionem *Deus assumpsit hominem*, veram esse arbitrantur S. Thomas 3. p. q. 4. art. 3. vbi Caietanus, & post ipsum Dominici Thomistæ Commentarius: è nostra verò Iesuitica, & Thomistica Schola Valentia 3. p. d. 1. q. 4. p. 2. sub init. Vasquez 1. r. 3. p. d. 33. c. 2. 304. in eius art. explicatione. Lugo. d. 13. de iocurat. sect. 2. num. 15. Bernal. d. 26. de incarn. S. 2. §. 8. *Dicit primò*: quoniam omnes communem Theologorum esse sententiam; imò eorum aliqui teste Vasquez cap. 1. oppositam sententiam erroneam censent: nec desunt ex eis, qui post habita Patrum, ita frequentissimè loquentium, vt mox videbimus, reuerentia, hæreticam appellat, vt dixi: fortè, quia tot Patres, & Concilia ita loquentes non viderat, neque satis in eis locutionibus intantum attendere, vel saltem penetrauerat, neque oblatam ipsis ita loquendi occasionem expendere. Cæterum, licet horum sententia communior Theologis sit, ei tamen opposita non sola magna Patrum, & Conciliorum auctoritate, sed & Scholasticorum fons, negari minimè post. Atque iuprimis est expressè Magistri Igit. in 3. d. 2. c. *assumpsit ergo, vit. audiendus non esse, qui eam propositionem negant. Et c. si autem queritur, ait, verissimè, & absque ulla ambiguitate dicitur, quia ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit*: insuper d. 5. c. *præterea inquiri versus med. Ex Concilio Toletano. 6. item. nos autem circa med. & c. hic à quibusdam item. d. 6. c. ne autem & isti iuncto c. in hac ergo sententia distinct. 7. in 6. siquidem distinctione rem indecissim relinquit.*

2. Præter Magistrum in ea dist. 6. citatur ab aliis præsertim à nostro Vvadingo S. Th. eadem dist. q. 1. art. 2. vbi paululum fauet ad 1. & ad 4. & art. 3. ad 4. vbi ait *proprie, & simpliciter hominem esse unicum Deo. Et opusc. de exposit. Symboli Apost. 4. 5. qui conceptus est. sub init. vbi ait: homo, cui coniunctum est verbum Dei &c. Et sub med. destruitur etiam error Nestorij, qui dicit filium Dei unicum esse homini per inhabitationem, sed legi est falsum, quia tunc non esset homo, sed in homine. Richardus in 3. d. 6. a. 1. q. 2. Dyonis. Chartul. d. 5. q. 4. alios referens: insuper S. Thomas ad Anibal. d. 2. q. 2. Guillelmum de Rub. d. 3. q. 1. & 2. vbi etiam Majorem, Aureolum d. 23. refert Hugo Victorin. t. 3. tit. 1. sum. c. 15. Henricus. quod lib. 1. q. 2. Alen. 3. p. q. 6. m. 1. quos sequitur ipse Vvadingo d. 4. de incarn. strenuus quidem ille, & controuersiarum, & Theologiæ Scholasticæ scriptor, & professor. His adde Doctorem Ioannem Martinez primarium, vt dixi Theologiæ Complutenfis professorem, & nostrum Ioannem Martinez de Ripalda summæ eruditionis, & dexteritatis Theologicæ ætate nostra virum, ( vt doctæ, & subellia eius scripta testantur ) qui in eius propositionis defensionem decem circiter retro annos libellum doctum, ingeniosumque & tanto, vt audio, auctore dignum composuit, quem tamen videre non potui.*

3. Et verò aliquorum ex citatis Doctorum auctoritas sola ( nedum omnium ) nobis, & cordato cuius Theologo satis fore videbitur, vt omni apud Scholasticos, vel durissimula nota immunem, verique, & proprii Theologici sensus eam propositionem æstimemus, quam tot Scholastici Doctores ex instituto examinautes veram, proprijque sensus iudicauerunt. Præferim nostri Vvadingo, & Ripalda insignes aded ( gemine dubitante ) Theologi, qui omnibus aduersariorum fundamentis visis, atque perpenfis eam nuperimè turati sunt. Sed me sanè iudice & proprij, ac veri eius propositionis sensus confirmationem, eorum etiam auctoritas

authoritas superfluit: video enim illam tot Patrum & Conciliorum Incarnationis fidem contra Nestorianos profitentium testimonio, totque indubitatis Theologicis principiis innixam, ut, etiam si reliqua absent, contra dicere non audeam. Hoc verò certamine solius Augustini testimonia, nec omnia dabo; reliquorum Patrum in sequentibus; & primò, quæ ex ipso recitat Magister in 3. d. 6. à med. ex cap. 3. de gratia noui testamenti: sicut non augetur numerus personarum, cum caro accedit anime, ut sit unus homo: sic non augetur numerus personarum, cum homo accedit Verbo (seu quòd idem est, assumit à Verbo) ut sit unus Christus: q. 73. ex lib. 83. quæstionum id ad Philip. 2. & habitu inuentus ut homo explicans, post aptiorem explicationem quartam ait: In similitudinem hominum factus est; ipse suscepit verum hominem suscipiendo. Habitu inuentus est, ut homo: id est habendo (sive suscipiendo) hominem, inuentus est ut homo: post pauca. Habitu factus est homo, cum indutus est hominem, quem sibi unius, &c. ac statim ferè. Non ergo oportet intelligi mutatum esse Verbum susceptione hominis: sicut nec membra veste mutantur induta: quamuis illa suscipio ineffabiliter susceptioni copularet. lib. 2. contra Maximin. cap. 11. Visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est: atque illico subdit: Nos Christum verum hominem suscepisse credimus.

4. Hæc apud Magistrum ibi, & alia d. 2. eiusdem lib. sentent. in super tract. super psalmos ad psal. 63. versu 2. proterge carnem suam in ipso filio, & homine, quem gerebat. Ex quo Ecclesia ser. 6. mai. hebdom. lect. 4. maturin. & serm. 13. de tempore sub init. ad hoc enim Deus hominem suscepit: sub med. Nec horruit Deus hominem induere: tract. 28. in Ioan. Manens Deus accepit hominem, qui scit hominem: Ex quo etiam Ecclesia feria 3. post Dom. passionis lect. 1. matut. de agone Christiano cap. 11. init. Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susceperet hominem: circa med. non enim intelligunt, quid sit aternitas Dei, qua hominem assumpsit: & inferius: Itaque filius Dei hominem assumpsit: post med. nolite timere contumelias, &c. quia si noceret homini, non ea pateretur homo, quem suscepit filius Dei. cap. 18. inf. Nec eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse filium Dei. Sic & vestis finem: Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquirari, quanto magis inuisibilibus, & incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberabit: cap. 19. Nec eos audiamus, qui Trinitatem quidem in una aeterna substantia consentunt, sed hominem ipsum, qui temporali dispensatione susceptus est, autem, &c. cap. 20. Nec eos audiamus, qui sic dicunt ab illa aeterna sapientia susceptum esse hominem, qui de Virgine natus est, quomodo alij homines: & in eodem cap. repetit eam propositionem. De prædest. sanct. cap. 15. init. Respondeatur quæso ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem persone assumptus: & med. ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, ut filius Dei, & filius hominis propter susceptum hominem: & filius Dei propter susceptionem Deum veraciter, & proprie diceretur.

5. Audiatur etiam ep. 66. hinc. Homo enim assumptus est à Deo: item præf. enarrat. 2. in psalm. 29. longe à princip. forte putet quisquam verum fratres, quia homo ille susceptus à sapientia Dei. infra; dixerunt hominem illum, quem suscepit Verbum, cum Verbum caro factum est, non habuisse mentem humanam: libris autem de Civit. Dei adeo frequens ea propositio vel formalis, vel æquivalens apud Augustinum est, & ex pluribus pauca solum adnotare animus in præsentiarum sit. lib. 9. cap. 17. Incontaminabilis Deus, absit, ut contaminationem timeret ex homine, quo inductus est cap. 21. ut hominem, quem gerebat ad nostræ imitationis temperaret exemplum lib. 10. cap. 2. sub init. In eius ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, & longè à med. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam, ut ipse vitius Dei filius in se commutabiliter manens indueret hominem lib. 13. de Trinit. cap. 18. Poterat visque Deus hominem sed melius iudicavit, ut de ipso, quod victum fuerat, genere assumeret hominem, per quem generis humani vinceret inimicum, lib. 1. lect. in monte c. 13. sicut in ipso homine quem portabas dominus ostendit: quem recitat Toletana Ec-

clesia in octava S. Ildefonsi lect. 7. Denique factis Baptismi aquis ablendus, med. illo cum Ambrosio cantico Te Deum laudamus: tum ut gratias Deo ageret, tum, ut fidem proficeretur, ait: Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum. Nec solide quis respondeat, illud suscepturus retere uterum, non hominem, at sensus sit suscepturus uterum Virginis ad liberandum hominem, non horruisti: tum quia uterum Deum suscepit proprie, non autem à Deo susceptus est: tum, quia earum vocum quævis à Verbo vicino capaci regenda est, ut æquiuocatio vitaretur, tunc cordatè vitanda: tum, quia ita regi Ecclesiæ consensus suadet: tum quia iade August. toties ab ipso repetitam propositionem usurpari capit, ut recitata testimonia suadent, pluraque alia à nobis recitanda, nisi præ multitudine pigritiam calamo, tediumque animo generarent. Videatur idem August. t. 9. lib. de Symbolo ad Cathecum. 2. cap. 5. cap. 7. cap. 8. cap. 9. cap. 10. & cap. 12. & t. 3. lib. de fide, & symbolo cap. 4. quorum singulis non semel eandem propositionem usurpar, atque vniuersim quoties de incarnationis mysterio dicebat.

### CERTAMEN III.

Proprius, verisque Theologicus sensus eiusdem propositionis aliorum Patrum testimonio illustratur.

1. **T**Ametsi magni Patris, & Doctoris, & planè bonæ Theologiæ Parentis Augustini innumera penè hæc, & alia testimonia contra hæreticos Nestorianos seruo, & districtè disputantis, satis verum, propriumque eius propositionis sensum absque vlla Nestorianismi (quam aduersarij meruunt) suspitione suadere videantur; aliorum tamen etiam, & contra Nestorianos pro incarnationis fide pugnantium (à quorum proinde errore proprietate sermonis debebant abscedere) & ita loquentium testimonia subiicienda hæc sunt. Veque Nestorio vetustiorum Boetium lib. de duabus naturis ita loquentem: Homo à Deo qui, assumptus, & Deus homine vestitus, & infra: hominem saluauit, quem assumpsit. Ex Ambrosio in recitato Cantico Te Deum laudamus: Augustino contentientem omitam. Leo Magnus epist. ad Iulian. audiendus in primis erit. Dei, inquit, verbum suscepit hominem, ac rursus: verus homo unitus est Deo. Et serm. 4. de Epiph. recitatus ab Ecclesia in eius festi Domin. lect. 5. sine, ita habet: Creendam esse humanitatem Dei, qua nouissimis diebus unitus est homini: Et serm. 2. de Ascens. proprie tamen illius temporis (passionis) alio ad demonstrandum suscepti hominis pertinuit veritatem: ex quo Ecclesia ser. 6. infra octauam Ascens. lect. 4. 5. Maximus hom. 4. de Pentec. circa med. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad calum: ex quo Ecclesia ser. 3. oct. Ascens. lect. 5. consonat sibi Maximus hom. 1. de Epiphani.

2. Gelasius Cyzicenus lib. de duabus naturis, qui sub nomine Gelasij Pap. extrat tom. 4. Biblioth. Patr. non admodum recentis, tribus sequentium Patrum testimonio contentit; eisque inter alia duarum naturarum in eadem Christi persona veritatem contra Eutycharios, & Nestorianos confirmat. Eustachius Episc. Anthioc. contra Arrian. Ipsa veritate totum hominem induens est Deus perfectè assumens, & infra: homo autem Deum ferens. Eusebius Episc. Palestinen. Ascendens in hominem quem assumpsit: & rursus, quando Verbum incarnatum eum qui ex femine David est, assumpsit, atque Deificat. Athan. Alexandrinus contra Arrianos; Propter hominem Saluatoris nostri, quem propter nos indutus est &c. & iterum: ex Maria &c. hominem, quem assumpsit. Repetit lib. 3. de assumptione hominis idem tamen Nazianzenus episc. 1. ad Cleodimium recitatus à Synodo Chalcedon. inter

alia Patrum testimonia pro duabus Christi naturis ita habet: *Et hominem assumptum pro nostra salute.*

3 Hilarius lib. 11. de Trinitate unum tamen eundemque (Christum) non Dei deificatione, sed hominis assumptione profitetur. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum c. 12. & rursus c. 13. *Hominem susceptum merito Deum dicimus quia susceptus est. S. Ildephorus de Virginitate Mariae c. 6. Deum factum, esseque hominem, ait, non diminutione Deitatis &c. sed assumptione carnis, & participatione hominis: ex quo Ecclesia in descensione Virginis leet. 7. & c. 3. eiusdem lib. de Virginitate Mariae: Propter assumptionem hominis Dei administratrix est: & inferius: tanta gloria, & dignitas est Virginis filius, ut sit in assumpto homine Deus. Item S. Ignat. Martyr. eiusque Paraphrasies loquuntur. Cyril. Alex. 10. Theol. cap. 4. sub init. quando igitur natura ipse Deus homine assumpto frater factus est nosse sibi item apologeticis pro anathematismo Synodi Alexandrinae aduersus obiectiones Orientalium, & Theodoretum ad Euopium in defensione anathematismi 8. vt veram saepe eandem propositionem supponit, ac defendit Damasc. 3. fidei cap. 20. *Hominem totum, atque omnia, quae hominis natura fert suscepit (Deus Verbum) peccato duntaxat excepto. S. Vigilius Mart. Episc. Trident. l. b. 1. contra Eutychem t. 4. Biblioth. Patr. Aduerte per singula suscepti hominis dispensationem, &c. Glossa in teitinal. ad id 2. Genes. faciamus ei adiutorium simile sibi: ait, quia in homine suscepto Ecclesia copulata est Deo. Petrus Chycologus serm. 143. solita emphasi ait: ipse hominem mulieris resumpsit ex utero. Epiphani. in anachorato circa finem; & Rupert. in cap. 1. Ioan. totum hominem assumpsit. S. Bernard. serm. 2. Pentecost. de Christi caelos ascendens triumpho: castus inuentus susceptum in unitatem sua persona hominem, &c.**

4 Anselm. lib. de excellent. Virginis Mariae: ex qua hominem in sua persona unitatem ineffabili fuerat operatione suscepturus. & l. b. de incarnat. cap. 4. lit. c. qui recte suscipit eius incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in unitatem naturae, sed in unitatem personae: & lit. d. Cur autem Deus magis assumpsit hominem in unitatem personae filij, quam in unitate alicuius aliarum personarum, &c. & Coh. 4. quod si Pater in unitatem sua persona hominem assumpsisset, &c. & circa finem: Si hominem erat assumpturus, unitus erat ad pugandum contra Diabolum: sine vero: suscipit eum in unitatem persona hominem, vt dictum est. Eandemque propositionem in Nestorianismo, quem in ea timere aliquis posset, instructa efficaciter obiectione, eiusque docta, & acuta solutione pro virili defendit toto cap. 3. discursu Theologico, & verbis aureis, quae cert. 4. ex ipso recitabimus. Ait vero eo cap. 5. post med. eadem est Verbi, & assumpti hominis persona, ac verus finem: eandem habet cum assumpto homine proprietatum collectionem. Quantum vero concors haec, & frequens tot Patrum loquutio fundamenti in scriptura habeat, satis constat ex Paulo ad Hebraeos 3. vers. 16. quem hactenus ad rem hanc nemo Theologorum expressit, vbi Dei in homines praeter Angelis in mysterio hoc misericordiam, ita scribit. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit: vbi naturae Angelicae possibile Deo vnioni, hypostatica beneficio apprehensionem nomine concreto Angeli recte explicari supponit, ac docet: Deinde ni periphrasi illa semen*

*Abrahae mysterium peractum explicaret, voce hominem, seu homines, quae voci Angeli responderet, explicare deberet. Datis Patribus plures duobus militibus Patres alios adde, qui iam recitandis Conciliis adferunt, siquidem in Chalcedonensi eorum vniter ptingenti circiter interfuerunt.*

## CERTAMEN IV.

*Firmiora adhuc Conciliorum pro eadem propositione fulcra.*

1 Tam aperta sunt Conciliorum, & Pontificum contra Nestorium, eiusque semina, & consuetarios errores definitum, & fidem Catholicam profitentium pro ea propositione testimonia, vt mirum mihi fuerit, (an aliis etiam futurum deinceps sit) in ea proprium, Theologicum sensum sapientes, & Catholicos Doctores aliquos negasse, sensumque Nestorianum tenuisse. Audiamus Patres Concilij Tolentani primi, ita fidem mysterij incarnationis confitentes in profess. fidei: *Credimus filium Dei ex utero Virginis assumptum esse hominem. Deinde Concil. Tolet. 6. cap. 1. Cum ista Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, &c. filium tamen filius accepit hominem in singularitatem persona. Concilium Tolet. 11. confess. fidei: credimus personam filij verum hominem assumptum esse de Maria Virgine. Concil. Francoford. contra errorem Felicii, & Elipandij, vel Nestorianum, vel eius consuetarium episc. ad Episc. Hispaniae confirmata ab Alexandro Papa: *Perfictum hominem assumpsit: idemque Alexander alia sua ad eisdem episc. hominem, quem assumpsit. Concil. Romanum sub Felice Papa formula fidei Petro Patriarchae Antioch. missa, ait: quod Verbum caro factum est assumptum homine. Concil. Lateran. sub Martino Papa 1. cap. duabus Christi voluntatibus haec Athanasij contra Apollinarem verba refert, & laudat. Diuinitas ergo filij est, qua ponit, & accipit animam hominis, quem indutus est, perfectum enim hominem assumpsit. Atque ex eiusdem Athanasij simbolo à Concilio, & Ecclesia tota iam pridem recepto ita Ecclesia Dominicus singulis ad primam finem recitat, sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. Vbi vnitus homini Deus aequae, atque aequae vnita sit caro cum Athanasio Ecclesia fateretur. Concil. Alexandrin. episc. ad Nestor. 10. inter epistolas Cyrilli anathematismo 8. Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorandum, & conglorificandum cum Deo Verbo vt alterum cum altero, & non magis vna adoratione colit Emmanuelem, & vniam illi glorificationem adapat, sciendum quod Verbum caro factum est, anathema sit: vbi assumptus à Deo homo supponitur, ac proinde, & Deum hominem assumpsisse.**

2 Adde idem Concil. episc. ad Clerum, & populum Constantinopol. 11. inter episc. Cyrilli, post medium: vbi ex sententia sua & antiquorum Patrum, Sacerdotum, & Patriarcharum Constantinopolitanorum haec scribit: *Pradicauerunt autem apud vos non duos Christos, sed vnum eundem ipsum Deum Verbum, & haminem secundum carnem, & ex muliere, non tenui quadam conuentione (affectione) & tanquam sola dignitate aequalitate (vt Nestorius aiebat) sed physica vnione coniunctum Deo hominem. Habet autem Concilium hoc auctoritatem Celsissimi Papae, qui illud laudauit, probauitque, vt constat ex eius episc. ad Cyrill. eius Concilij praesidem praecipuum Nestorij impugnatores, fideique contra illum acerimum propugnatores: est autem ea episc. 12. inter epistolas Cyrilli. Habet insuper auctoritatem Conciliorum Chalcedonensis, & Ephesini, à quibus episc. cum suis anathematismis recepta, & approbata est: Cum autem in Concilio Lateran. sub Martino 1. consult. 5. can. 7. quingue Concilia generalia (in quibus Lateranense ipsum, Chalcedonense, & Ephesinum numerantur) eorumque dogmata ad apices vsque tenenda, credendaque esse definiatur, fieri profecto nequit, vt ea propositio Anathematismo illo 8. conueniat, proprium, verum, & Theologicum sensum, in quo Catholicè admittenda sit, non contineat, Nestorianismo sanè, quem Patres, & Concilia recitata per illum propullabant, oppositum: quocirca eorum Doctorum pietas, qui pie Patres, cum ita loquuntur, intellegendos, & interpretandos aiebat, cum laude quidem*

videtur reiicienda. Pia enim locutionis Patrum interpretatio in eas solum propositiones Patrum cadit, quæ aliud agentibus, vel semel, aut iterum vni, vel alteri ex Patribus exciderunt; non autem in eas, quæ à tot tantisque Patribus, & Conciliis serio, & districtè de fide mysterij alicuius contra hereticos in materia earum propositionum aberrantes (vt in præfenti accidit) disputantibus, ac definitibus frequenter, & constanter vsurpantur. Tunc enim, vel proprio illos rigido, & Theologico sensu (vt hætenus contenditur) vel ignoranter, & imprudenter (quod impium planè est) locutos fateri necesse est.

3 Viderunt quidem dilemmatis huius difficultatem, qui in proprium eius sensum absolute docent. Idecirco aliquorum testimoniorum vrgentiorum legitimum sensum in aduersum alium detorqueere conantur, cæterorum verò, pondus pauculis alijs aduertunt, nec satis (meo, & aliorum iudicio) firmis rependere. Atque in primis illud ex Anathematismo 8. ita detorqueunt, vt illud *Anathema sit supra initium eius anathematismi, si quis audeat dicere assumptum hominem, seorsim etiam cadat. Nec videtur illud assumptum hominem esse propositionis damnatæ, scilicet, eoadorandum, & conglorificandum cum Deo Verbo, ut alterum cum altero, nudum subiectum, quod a damnatio supponit, ac proinde fatetur: videant id ex adiuncta saltem aduersatiua anathematis, & non potius vna adoratione &c.* Opponunt insuper Felicis Papæ, Cyrilli Alex. & Ioannis Maxentij testimonia, quibus tamen nihil probari noster Valquez (qui pro illis ea in se stat) aperè demonstrat citato cap. 2. nosque statim clarius, si fieri potest, ostendimus. Nunc autem generatim respondeo. Primum (quod specialibus cuiusque solutionibus validè adspulatur) miraculi instar fore præfatos Patres expressos eius propositionis, & Scriptis suis, & Conciliis, quibus aduerunt, consenseruntque (sunt enim etiam Maxentius Concilij Francofordiensi per recens obieciantem nostrum Bernaleme præcipuus Pater) assertores, cum fidei huius mysterij serio, & ex instituto causa agebatur, eam sibi met contradicentes absolute negasse. Secundò respondeo generatim eorum omnium testimonia trunca, & decurtata ab aduersariis opponi: quæ tamen si integre recitentur, ei propositioni non obsunt, imò quandoque suffragantur.

4 Primum est Cyrilli lib. ad Euoipium pro anathematismo in defensione octaua. *Non (inquit) hominem assumptum esse dicimus à Deo Verbo. Sed legatur sequentia, & copulata in secundum habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur. Hunc ergo modum Nestorianum assumptionis extrinsecæ, & affectiua solium, quæ à persona vna ad aliam est, negat, non autem phylicæ vnionis, & coniunctionis in persona eadem, vt in Christo fuit, quaque, vt statim subdit, hominem cum factum esse dicimus. Subdit autem: & ob hanc causam excidisse à pietate dogmatum eos, qui audent dicere assumptum hominem adorandum cum filio, & Deo ut alterum cum altero: ecce assumptum hominè à Deo esse supponit in subiecto propositionis, quam damnat, quia de eo dicebatur eoadorandum cum Deo ut alterum cum altero: quare, & hic locus, sicut anathematismus pro ea propositione facit. Quod si eam negaret, non esset eius anathematismi defensio, sed impugnatio, & contradictio. Eundem explicatum apertum habet testimonium Felicis Papæ relatum à s. Thoma arg. sed contra citati 2. 3. 1. p. receptumque, & recitatum à Synodo Calcedonensi act. 1. c. 8. *Ipse (Iesus Christus) est æternus Dei filius, & non homo à Deo susceptus; sed pergit vterius, ut esset alter præter ipsum: quod si vterius adhuc progrediantur, assertam à Felice videbunt propositionem, quam impugnant. Neque enim (adiectu) hominem assumpti Dei filius, esset alter præter ipsum: ergo admittit assumptum esse hominem à Dei filio, vt esset non alter, sed idem cum ipso: ex vulgata iuris regula,**

exceptio firmat regulam in contrarium. Sic, qui dicat alteri. *Non dedit tibi gladium meum, vt proximum interfices: hispanè: non dimiti dinero para que lo ingases: asserit suum gladium, & pecuniam, licet non ad eos fines, & effectus dedisse. Mitto alia, quæ ex Felice recitat Valquez: ad huius fiquidem interpretationis confirmationem videntur satis perspicua, quæ dedimus.*

5 Ioannis Maxentij locus ex r. 4. Bibliot. Patr. dialogo contra Nestorian. longè ante finem est. Ego (inquit Catholicus interlocutor) à Deo susceptum hominem dicere non audeo; sed Deum sine diminutione diuinitatis factum hominem fateor: ne si susceptum à Deo hominem dixerò, unus videatur in filio Dei prædicare personas. Mitto Ioannem Maxentium priuatum Doctorem esse, atque circa incarnationis veritatem Eutychnan hæresis ab aliquibus insinulatam, vt Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiast. obseruat, nosque ex alijs obseruauimus: eaque adhuc suspicione remota, eum, vt obiectantes volunt, præcipuum admittimus Concilij Francoford. Doctorem existisse: vbi vt vidimus ea propositio affirmatiua inter cæteras incarnationis dogmaticas posita est. Eligant obiectantes, an dialogus ille ante, vel post Concilium fuerit à Maxentio compositus: si ante: metum eius propositionis ex tercentorum Patrum, qui ei Concilio aduerunt, suffragio, & autoritate deposuit, vt cum eis pro ea suffragium audacter, & sententiam ferret. Si verò conscriptus postea Dialogus fuit, quo pacto propositionem tot Patrum, & sua etiam sententia veram, asserere timeret. Legantur sequentia, vbi merus causam interlocutoris nomine aperuit; quia, inquit, *suscceptor sanctorum neque fidelium Dominus dicitur: hoc est: quia suscipere aliena supposita exemplis datis Deus dicitur: atque ideo Nestoriani, tunc eam eam propositionem astu hæretico à proprio sensu ad prauum suum, & erroneum detorquebant, vt infra idem Catholicus interlocutor ait testimonio à vobis contra vnicum, proprium eius propositionis sensum, obieciendo: idcirco post verba proxima alia, quæ obiici hic solent, subdit: melius ergo est susceptam à Deo naturam humanam, quàm susceptum à Deo hominem dicere: Sed, si illud propriè melius est huius comparatione, & hoc vtiq; bonum est: sed certè melius dixit, non quidem sensus proprietate, sed astutia; & fraude Nestorianorum attempta.*

### CERTAMEN V.

*Fundamenta, quæ vnicum verum Theologicum, imò dogmaticum eius propositionis sensum esse suadent, expenduntur.*

1 Hætenus eam propositionem veram, & propriam Theologicam esse, Patrum, & Conciliorum autoritate recitatis testimoniis & perpensis, fundatum est: iam verò, & profundiori earundem, & aliarum autoritatum ponderatione, & rationibus Theologicis à priori, vnicum eius propositionis, & Theologicum sensum esse *Deus assumpti humanitatem præsentis certaminis, non opus quidem, vt dicitur, & labor, sed facile negotium lectori fortasse videatur. Fundamentum primum ex datis testimoniis, & occasione, qua ea Patres, & Concilia scripsere petendum est. Vt enim diximus cert. 3. num. 5. ea, cum Nestorianis, cuiusque gemina ab eis ex instituto impugnabantur, fidemque mysterij incarnationis puram, expugnato eius errore, profitebantur, atque Catholicis profitendam proponebant, prolata, scriptaque sunt: ergo nullo proprio sui sensu eiusmodi propositio significabat personam; Sed proprio, & vnicò significabat naturam. Probatum consequentia: ete-*

nam, si illum alium sensum, quo significaretur personae humanae assumptio propriam haberet, Nestorius, & sequaces eam eo sensu retento admitterent, facileque fideles decipi ab eis possent: quo neque horum sincerae fidei à Patribus, Conciliis, & Spiritu sancto tunc eis assistente caudum, neque haereticorum astui, & malitiae praecautum satis foret: id quod sine Patrum, & Conciliorum iniuria, atque in Spiritum sanctum blasphemiam admitti non potest.

2 Ad haec, si proprius etiam is sensus propositionis illius esset, propositam sibi à Concilio Alex. anathematismo non respiceret, ut respicit Nestorius, sed obuiis vniis amplexaretur: quod, si ob adiuncta alia anathematismo non admittit, in eo saltem Catholicis cum eius dogmate conuenire clamaret, & reliqua anathematismi cum eo primo non constare (ut verè proprio illo sensu admissio non constarent) insultasset. Insuper Theodoretus adeò de Nestorianismo suspectus, ut in Concilio Calcedonensi primum inter Catholicos Patres fuerit admissus (teste Bellarmino de Scripturis Ecclesiasticis) qui què proinde Verba, & apices anathematismi 8. & reliquorum carpsit, ut constat ex lib. Cyrilli ad Euoipium aequiuoco sensu, imò Nestoriano (tunc fortè suo) locuro Cyrillum, & Alexandrinam Synodi Patres minime reticeret. Denique vnicui huius propositionis sensus argumentum est apud Patres omnes, quod cap. 2. citato Valquez obseruat: à nemine scilicet antiquorum Patrum eiusmodi propositioni, adeò tunc frequenti, & visitatae in Ecclesia Dei fuisse reclamatum: esset autem proculdubio reclamatum, atque explicatio sensus proprii Catholici, quo ab alio proprio Nestoriano proposito illa secerneretur, ab aliquibus saltem Patribus perita, ne fidelem populum Nestoriano errori obnoxium relinquerent.

3 Secundum fundamentum est ab autoritate Augustini, quam me in ipso legisse recordor (licet memoriam, ubi eius operumegerim, exciderit) ita loquentis. *Haereticum est negare Deum assumpsisse hominem: cui simile est illud, quod ex Augustino eodem in expositione Symboli refert Magister in 3. d. 5. cap. vlt. med. Si quis dixerit quod crediderit hominem (Iesum Christum) à filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit: Vbi illud Iesum Christum appositiuè dictum intelligendum est: ac si diceret hominem, qui Iesus Christus est, siue qui assumptione ipsa assumptus homo, & Iesus Christus factus est; alioqui Iesus Christus homo assumptus, ut assumptus iam, & vnitus in factò esse, & cum persona Verbi assumptis, siue ut hic homo terminus assumptus, siue assumptionis à verbo assumptis non est, ut ex Anselmo infra recitando constabit: ex his autem locis ita ad institutum praesens arguitur. Propositio negatiua contradictoria propositionis affirmatiuae, aequiuoca, ac duplicis proprii sensus, & alterius quidem erronei (ut admissio altero huius propositionis *Deus assumpsit hominem* scilicet proprio *Deus assumpsit personam humanam* propositio affirmatiua erit) nequit absolute, & sine sensus distinctione, & explicatione tanquam haeretica absolute damnari: atqui *Deus non assumpsit hominem*, & contradictoria, & negatiua huius *Deus assumpsit hominem* est, & absolute, & absque sensus distinctione vlla ab Augustino damnatur: ergo quia affirmatiua vnici solius sensus, & dogmatica est, scilicet *assumpsit humanitatem*, nec habet alium, scilicet *personam humanam assumpsit*.*

4 Sed quoniam librum de expositione symboli sub eo titulo in Augustino non inueni: ne fortè aliquis memoriae nostrae, & Magistri relationi minus fidat, propositiones ex Augustino recitatas certis aliis locis à me perfectè aequiuocè ab Augustino dictas audiat. Etenim serm. 13. de tempore sic exorditur: *Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, ita Euangelista aperitissime demonstrans ait: ut ostenderet eum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine natum, propter*

*haereticorum astuciam, qui negant Deum hominem suscepisse; id autem solum haereticorum proprium censetur, quod haeresis est, eosque haereticos facit; quare, & Augustini tandem ea proposito censetur, qua haereticum dicitur negare Deum assumpsisse hominem. Nec refert sermones illos de tempore non ab omnibus Augustinianis reputari; ij enim, & pauculi Doctores sunt, & de illorum sermonum legitima Augustiniana origine sine vilo fundamento addubitarunt: idcirco editione sua Louanienfes ex corpore sermonum de tempore certo Augustinianorum, in indiculum aliorum, quos cum fundamento Augustini non esse, post accuratum examen iudicarunt, non reiecerunt: quo plures alios ex contentibus aliorum operum Augustini omnino compositos relegarunt: eo solum nomine, quod sub eo titulo, & contextu continuo scripti ab Augustino non fuere.*

5 Et certè sermones 128. de tempore, qui in corpore eius operis (licet non addito in titulis Augustini nomine) à Louanienfis edici fuere, diligentissimus, atque eruditissimus non solum scriptorum Ecclesiasticorum, sed & operum cuiusque examinatus, atque, ut sic dicam, cribrator Bellarminus noster legitime esse Augustini factus ex Doctrina dignitate, & indiculo Possidij, & Bedae commemoratione iudicauit obseruat. vlt. circa opera t. 10. 5. Augusti. decimus tertius autem sermo iste ex illis 128. est. Sed quid plura pro hac Augustini mente circa dogmaticam, certamque eius propositionis *Deus assumpsit hominem* absolute dictae fidei veritatem: quare, & vnicum proprium, & dogmaticum sensum, qui hoc cert. fundatur: t. 3. lib. de fide, & symbolo c. 4. sub med. ita scribit: *Si quis tenuerit Catholicam fidem, ut teum hominem credat esse susceptum (id est corpus &c. factis contra illos haereticos scilicet,) quos multis modis huic mysterio insidiosi praedixerat) munus est. Non esset autem ea propositio absolute fides Catholica, si proprio aliquo sensu significaret assumptam esse personam: nec satis fide munus ille esset contra errores omnes circa hoc mysterium, sed Nestorianus prorsus expostus.*

## CERTAMEN VI.

*Pro eadem propositione efficax ratio Theologica.*

1. Tertium fundamentum veri, vnici, proprii eius propositionis sensus praedicti, adeò frequentis eius apud Patres, & Concilia viurpationis, & censurae tam eius, quam contradictoriae negaturae ab Augustino imper datae Theologicum est: quia vox homo se sola, ac de se se nullatenus significat personam, sed naturam: ergo *Deus assumpsit hominem* solum sign. sicut *Deus assumpsit humanitatem*: quae est de fide propositio, eiusque contradictoria haeretica: antecedens tripliciter probari Theologicè potest; primo ex Patrum, & Conciliorum autoritate. Leontius Bizantinus hypothesis 27. apud Henricum Canisium t. 4. antiquae lectionis: *communiter ab omnibus concessum est, non hominis significare naturam; Perri autem personam. De matheo. 3. fidei ita cap. 4. inchoat: quod aliud est essentia (quae Patrum, Conciliorum, & Theologorum phrasim idem atque natura est) aliud hypothesis sapienter à nobis dictum est: quodque essentia communem speciem, et personas eiusdem speciei complectentem significet, ut Deus, & homo. Iustinianus Imperator edicto fidei approbato à Vigilio Papa, ita vniuersim de omni voce praedictum commune substantiale, ac non indiuiduum, specialem, singularem, & propriam substantiam significare tanquam dogma Patrum docet. Omnes Patres consensu docent aliud esse naturam, siue substantiam, & aliud substantiam siue personam, & naturam quidem hoc quod est commune significare, personam verò hoc quod est speciale. Decretum Concilii Florentini. sess. 18. sub medium 9. diuina substantia*

stantia naturam, & essentiam a persona distingui docet, ut communicabile ab incommunicabili, & ut commune à proprio: quare vox homo, quæ speciei, & substantiæ communis tantummodo nomen est, non propriæ, & specialis, personam de se significare non poterit, sed solum naturam.

2. Omnium præclarissimè Anselmus c. 5. de incarnatione non solum id ipsum docuit antecedens, sed solida, subtiliâque fundamenta, tum eius propositionis asserendæ, tum etiam ab obiectionibus liberandæ solito sibi in aliis Theologicis rebus, & ingenij acumine, & profunditate aureis sententiis, & verbis posuit: quas quidem Doctores alij perfunctoriè, nec debita ponderatione videntur legisse; idcirco longius solito eum recitabo. Cum ergo à capitis initio objecisset ex hac propositione Deus assumpsit hominem; (quam cap. 4. sæpè asseruit, eratque eo cap. 5. non semel asseritur) inferri, & esse Deum assumentem, scilicet Verbum, quod persona est, & hominem ab ipso assumptum, qui persona itidem est: ac proinde ea propositione duas personas in Christo Nestorianè demonstrari; negata consecutione rationem his reddit. Nam cum profertur homo, natura tantum, quæ communis est omnibus hominibus significatur: Cum verò demonstratur dicitur hunc, vel illum hominem, vel proprio nomine Iesum personam designamus: quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis sit singulari, & ab aliis singulis distinguitur. His sane antecedens posuit, & rationem eius Theologicam, quam secundo loco differemus.

3. Inferius verbis his consonans, & subtiliâ plura è sapientiæ suæ Thesaurò proferens, ait. Cum ergo Verbum caro factum est, naturam assumpsit, quæ sola nomine hominis significatur: non aliam assumpsit personam: quoniam eandem habet (Verbum) cum assumpto homine (ut iam assumpto, ac non solum puro termino assumptionis, seu unionis ad ipsum) proprietatum collectionem. Non enim idem est homo, (ut unionis terminus) & assumptus à verbo homo, id est Iesus: quoniam in nomine hominis, sicut dictum est sola intelligitur natura, in assumpto verò homine, vel in nomine Iesu, intelligitur cum natura, id est cum homine, collectio proprietatum, quæ est eadem eadem assumpto homini, & verbo. Quapropter non dicimus Verbum, & simpliciter hominem eandem esse personam: ne non magis dicamus illum hominem eandem esse personam cum verbo, quam quemlibet hominem? sed Verbum, & illum assumptum hominem, id est Iesum: sicut non credimus eundem hominem eandem simpliciter esse personam cum Deo, sed cum illa persona, quæ Verbum est, & Filius est: ne confiteri videamur ipsum hominem personam eandem esse, quæ Pater est, & Spiritus sanctus. Quid ad rem præsentem illustrius?

4. Probatur secundo illud ipsum antecedens ex solo in Philosophia, & Theologia principio definitionis essentialis personæ, quæ ex Boetio lib. de duab. natur. non semel, & Anselmo c. 76. Monologij sic apud omnes habetur; rationalis natura individua substantia, siue natura rationalis individua? à qua quidem nullatenus Anselmus proximè, & alij discordant, qui per proprietatum cuique propriam collectionem personam definiunt: ex phrasi enim Porphyrij c. de specie individui substantialis, quod persona est, descriptivam definitionem tradunt. Tunc sic persona essentia sua, ita essentialiter individua substantia, & natura rationalis rationem continet (quid quid sit de modo perfectitatis positio superaddito ad personam adæquatè constituendam) ut id, quod individua substantia rationalis non sit, implicet esse personam: ergo, & implicat vocem, quæ individuum substantiam rationalem non significat de se se, ac solum significare personam; atqui implicat vocem illam genericam, seu specificam, atque univèrsam illam vocem communis prædicatæ, etiam substantialis (cuiusmodi vox homo est) de se se, ac se sola significare substantiam rationalem individuum: ergo implicat eandem vocem de se, ac se sola significare

personam, quare essentiam solum, seu (quod idem in re præsentè est) naturam poterit solummodo significare.

5. Tertia demum eiusdem antecedentis probatio ex priori alio Theologico, & philosophico principio petenda est; ex quo proximè positum immediatè deducitur: etenim de conceptu essentiali personæ, ac suppositi est esse substantiam per se omnino: licet ad id, ut nuper tetigi, supra individuum substantiam modum perfectitatis positivum aliqui requirant; alij verò sola negatione essendi in alio satis haberi putent, de quo alibi fufius disputavi. Atqui prædicatum commune substantiale (siue id genus, siue species sit) per se omnino non est, sed in alio: ergo neque est persona: ergo vox, quæ de se, ac se sola substantiam communem sine genericam siue specificam (ut vox homo) significat de se, ac se sola non significat personam, sed essentiam; seu naturam solum, ut affluebat in antecedenti. Minor proxima probatur, quia prædicatum substantiale commune (siue genus, siue species sit) pars metaphysica individui substantialis est, ac proinde in illo, & in alio, quod metaphysicè componit, est; unde non omnino, & absolute per se. Hoc discursu Nestorianis contendentibus in Christo duas esse personas, quia duæ sunt in illa individua rationales substantiæ, responderunt olim Rusticus Diacon. d. contra Acephalos t. 6. Biblior. Patr. Athabas. in duce via. Maximus Epist. ad Georgium Theodor. Carisiens. Episcop. verbis hisce. Nec satis est ad rationem hypostasis esse naturam compositam cum proprietatibus; sed oportet non esse partem: quia igitur Corpus animatum assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis.

6. Nec satis est personam debere esse substantiam per se, ac non in alio physicè solum, ita ut pars physica totius physici non sit, ac proinde in illo physicè sit, ac non physicè per se: ut in exemplo humanitatis individua quidem ab his Patribus ostenditur, quæ, licet totum metaphysicum sit, quia tamen pars physica, & in alio physicè est, persona per ipsos, & per veritatem non est: etenim quomodo substantia pars sit, absolute per se non est; cum autem præcisione accedente prædicatum commune ab individuo, in quo est, ut eius pars dividitur; pro eo statim, & præcisione per se absolute esse non potest, ac proinde nequit esse persona. Confirmatur; quia per vos, etsi humanitas Christi individua, & in alio, ut pars metaphysica non sit, quia tamen in alio ordine physico pars Christi est, ac proinde per se absolute, & in omni ordine non est, persona non est: ergo etsi pars physica, & in alio physicè substantia communis non sit, si tamen pars metaphysica, & in alio, ac non per se in ordine metaphysico sit, absolute, & per se, & persona non est. Tertio natura divina pars metaphysica solum personæ cuiusvis in Trinitate est, quam solum metaphysicè componit cum proprietate personali, cui in vnaquaque persona physicè identificatur, & tamen, quia in eo ordine pars cuiuscumque personæ est, atque in alio proinde absolute per se, ac persona non est. Quarto demum rationem nostram, ac solutionis huius impugnationes iam olim dederunt Boetius lib. de duab. natur. longè à princip. ideo hypostases Græci, inquit ille, individua substantiæ vocantur, quia ceteris (substantiis scilicet communibus) substantiæ sunt, & quibusdam quasi accidentibus suppositæ substantiæque sunt: ac proinde illæ in his, ac non per se, sicut individua substantiæ, metaphysicè etiam sunt: & clarius adhuc, & illustrius Nicetas lib. 2. c. 25. quæ individua Peripatetici vocare solent, ea Doctores Scholasticè placuit appellare hypostases. Hypostases verò dictæ sunt, quia in his genera, & species, quæ circumscripta non sunt, quasi pedem figunt. Iam verò si homo secundum se personam non significat, sed naturam, seu humanitatem, consequens, & certum videtur: tantundem scilicet valere Deus assumpsit hominem, atque

R.P. Christoph. de Ortega, de Deo uno & Trino.

§ § § § assumptis

*assumpsit humanitatem, quod de fide est, eiusque contradictorium hereticum.*

## CERTAMEN VII.

*Euaersionum, & obiectionum praclusione firmiora videntur praefata fundamenta perflare.*

**O**ppones Damascen. citato c. 4. sub init. ita scribentem, *Illud itaque animaduertendum est, quod Diuinitatis, atque humanitatis vox essentias, seu naturas indicat: at Dei, & hominis vocabulum, tum de naturis usurpatur; quemadmodum, cum dicimus, Deus est substantia capsum nomen superans, & vnus est Deus: tum etiam, de personis; nimirum, eo quod specialius est generatioris nomen suscipiente: ut cum Scriptura ait: propterea vnxit te Deus, Deus tuus: video enim hic, & Patrem, & filium designari; & rursus cum ait, homo quidam erat in terra Hus, Iobum enim tantummodo significat: ergo ex Damasceno homo aequiuoca duplicis proprii significati vox est, quorum vnum persona humana sit, proindeque discursus totus Theologicus corrui; atque ea propositio *Deus assumpsit hominem* duplicis etiam sensus proprii aequiuoca proposita erit, non sine distinctione, & explicatione sensus a Catholicis usurpanda: cum illorum alter Nestorianismus sit. Admisit duplicem vocis *homo* significatum Vvadingus ob praefatum Damasceni testimonium, non satis, me iudice penetratum, atque perpenum. Et quidem hoc clato negari merito posset eam propositionem sine sensus explicatione absolute proferri a Catholicis scholasticis non posse: quia frequentissimus illius apud Patres vsus Catholico altero sensu accipi, ac proferri satis euinceret; vbi nulla proferentis de haeresi esset suspicio aut de eius fide addubitatio.*

**2** Negativa potius cuius nullus apud Patres vsus est, inde videretur non sine explicatione sensus a Catholico proferenda, si duplicis illius significati proprii vox *homo* foret. Tum etiam ea aequiuocatione, & indifferentia proprii significati in ea voce admissa ex adiuncto Verbo *assumpsit*, satis ad significandam humanitatem determinaretur, vt ex dicendis num. 6. clarebit. Caterum, vt dixi, eam aequiuocationem duplicis proprii significati in hac voce *homo*, aut *Deus* Damasceni verba non suadent. Solum enim ait eam vocem dici etiam de personis, eo quod specialius est generatioris nomen suscipiente: vbi eas voces secundum se, ac nude sumptas substantias communes, ac non personas significantes esse fatetur, iuxta ea, quae ex eius capitis initio retulimus cert. 4. num. 4. licet ex adiunctis alijs vocibus possint significare personas: Quod exempla ab ipso data demonstrant. Personas enim diuinas significat ibi non vox *Deus* solum; sed illud etiam pronomen *te*, & tuus simul cum illa: & Iobum non solum vox *homo*, sed illa etiam *quidam* & *in terra Hus*; voce autem *homo* cum adiunctis nonnullis vocibus posse personam significare non negamus, sed eas posse de se, & nude sumptas significare, quod & valde diuersum est, & discursui illi Theologico sufficiens.

**3** Aliud etiam ad ipsum inducitur Ioannis Maxentij testimonium ex citato Dialogo contra Nestorianos, qui post Verba ex ipso data sic per Catholicum interlocutorem ait: *Dei, & hominis non vnaturus, & personis commune est: & post pauca: Homo sicut significat personam, significat naturam: Vnde nonnulli sancti Patres non quidem ad personam, sicut vos, sed ad naturam potius respicientes hominem assumptum a Deo Verbo dicere comprobantur: si autem communis vox naturae, & personae homo est per Maxentium, & sicut significat naturam significat personam; de se, ac nude sumpta in eius sententia personam significat, sicut naturam sensu pro-*

prio, nec naturam solum. Quovisque Maxentij auctoritas in his, quae attinent ad errores Nestorij, & Eutyche. perueniat, dixi cert. 3. num. 8. Sed certe, si verus longius recitaretur, constaret illud *sicut*, & illud *commune est* aequalitatem significandi de se vtrumque de naturam, & personam in voce *homo* ex sententia Maxentij non esse; sed solum posse significare ea voce vtrumque: & nude quidem naturam solum; quippe, quae, vt ex Patribus, & rationibus euicimus, substantiam communem, ac non indiuiduam de se significat, quae persona esse non potest. Cum enim statim Nestorianus interlocutor Catholico confessus in ea vocis *homo* acceptione placide diceret, *sicut naturae, & personae differentiam explicaret*; ita Catholicus recitatis Patribus cert. 4. consonans, post aliquam. *Discernitur ergo persona a natura, quia persona vnam rem indiuiduam naturam significat; natura vero communem cognoscitur declarare.* An his vocem, quae communem, ac non indiuiduam substantiam de se significat, vt *homo*, naturam, non autem personam, de se significare cum reliquis Patribus non fatetur?

**4** Oppones tertio vocem *homo* significare personam determinare, nec sudiiferenter solum. Primo: quia iuxta testimonium Damasceni citato c. 4. sub init. & c. 11. relatum a S. Thoma citato etiam 2. 3. *homo est habens humanitatem*: habens autem humanitatem, non humanitas ipsa, vt patet, sed persona est. Tum etiam, quia etsi humanitatem solum ea vox Patrum, & Conciliorum tempore significaret, iam ex consensu Theologorum eius vocis, quae ad placitum semper fuit, significatio personam solum ex multo tempore significat. Quoad Damascenum attinet, ex dictis, & recitatis eius verbis num. 2. constat, voci *homo* secundum se sumptae, ac de se nullatenus illum significationem personae dedisse, sed naturae solum significatum; personae vero non illi tantum, sed illi, & adiunctis quibusdam alijs, quae substantiae indiuiduationem essentialiter in ratione personae includunt designarent: vt eorum coniunctum personam designet, nihilque eorum seorsim: tunc autem sic designata persona verum est hunc hominem esse habentem humanitatem; quia tunc *homo* adiectiue sumitur, qui tamen secundum se, ac de se substantiue solum potest vtrumpari, idemque, atque humanitas significare iuxta latius a nobis dicta tomo de incarnat. controu. vlt. d. de idiomatum communicatione.

**5** Illud de consensu Theologorum ad significationis mutationem, quod non semel audiui, infirmum est: etenim non omnes Theologi in eam significationis mutationem conuenerunt, vt constat ex duodecim Doctoribus, qui ei vocis *homo* acceptioni dissentunt. Secundo, quia illi ipsi, qui hoc respondent, quotidie, dum matutinum recitant, aliam pro sola humanitate eius vocis acceptionem retinent, & usurpant, ac nouae illi significationi cum tota ecclesia reclamant, cuius reclamations aduersariorum Theologorum consensus nequit praualere. Tertio consensus ille Theologorum per inadvertentiam principiorum Theologorum apud ipsos etiam, & Theologos omnes ad vnum, est habitus: vt ex dictis cert. c. 5. num. 1. constat, qui proinde irritus debet haberi. Demum si ea Theologis detur facultas, vt ex libero eorum consensu propositionum, & vocum significatum, in quo Patres, & Concilia de fidei mysterio contra haereticos disputantes, atque statuentes eas usurparunt, in diuersum, atque aduersum etiam, vt hic euenit, mutant; nihil in fidei dogmatibus firmum, & stabile ab Ecclesia habebitur: siquidem mutata ex libero Theologorum consensu earum apud Patres acceptione, & significatione, & dogmata antiqua haereticos, & explorata apud Patres, & Concilia haereticos dogmata fidei esse poterunt: sique, nec de suo geritatis constantia dogmata fidei sibi blandiri, nec haereticos ad de sua salute desperare debebunt: quippe, quae via se-

bribus homines, ab erroris malitia ad bonam, firmamque salutem tandem aliquando poterunt conualescere.

6 Oppones quædã: homo de se solum significat naturam humanam, seu humanitatem: ergo hæc propositio dogmatica *Deus factus est homo*, eadem cum hæc Eutyriana est, *Deus est factus humanitas*: quare illa non dogmatica, & de fide, sed hæretica erit. Negatur consequentia, licet enim vox *homo* de se, ac se sola humanitatem solum significet ex adiunctis, & cum adiunctis quibusdam personam significare potest, vt diximus ex Damasceno, & Anselmo, ex eis autem adiunctis est illud factus est. Cum enim, vt vnum alterum propriè fiat, non autem conuertatur (quod diuersum quidem est proprietate sermonis) in illud, identitas vtriusque in aliquo necessaria sit: illud factus est personalitatem, in qua Deus, & homo idem sunt, designat: & personalitatem quidem, seu personam Verbi naturam humanam sustentans: quam in simili propositione *Deus est homo* designari, & ideo ex parte Verbiusque extremi subandiri, acutè, & doctè obseruauit Anselmus verbis in medijs ad extrema, quæ ex cap. illo 5. de incarnat. recitabamus cert. 6. num. 2. Sic enim pægit: *Sed quoniam & Verbum est Deus, & ille assumptus homo est homo, verum est scire, quia Deus, & homo eadem persona est; sed in nomine Dei subaudiendum est Verbum, & in nomine hominis subaudiendum est filius Virginis*: Subauditur autem, quod, licet non exprimat, sub significato, & semel propositionis, & coniunctio illo orationis continetur. Instabis hinc: ergo ex adiuncto Verbo *assumpsit*, licet non se solo, significabitur persona humana in hæc propositione *Deus assumpsit hominem*. Negatur consequentia facilius. Nam verã assumptio, & vniuerso realis distinctionem assumptis à termino assumpto necessariè importat: quare implicat Verbum *assumpsit* adiunctum significare cum voce *homo* personam: quia nec diuinam, in qua assumens, & assumptus homo, vt assumptus adiectiue, & in facto esse, idem sunt: cum dicat extremorum diuersitatem: neque humanam personam aliam, cum natura humana, quæ solum voce hominis secundum se significatur distincta à Verbo assumente sit: ac proinde aptus, & verus, ac proprius terminus assumptionis per Verbum significatur.

7 Denique oppones: *Deus assumpsit hominem*: ergo *assumpsit hunc hominem, vel illum hominem*: consequentia videtur firma, quia verba, quæ prædicata contingenti subiecto important, faciunt terminum continuum supponi suppositione determinata, vt patet in hæc propositione *homo currit*: ex qua proinde licet inuitabili consequentia sic per discursum inferre: ergo *hic homo currit, vel hic homo currit*, &c. Atque similiter in præfenti materia ex hæc *Deus assumpsit humanitatem*, necessario descensu inferatur: ergo *assumpsit hanc humanitatem, vel hanc humanitatem*: & ratio est: quia actiones inæ contingentes subiecto physica, & reales, ac nõ intentionales, & præcisæ indiuiduis solum, ac non prædicatis communibus secundum se, sed ratione indiuiduorum conueniunt: vnde, & communes voces ad significandum indiuiduum aliquid hoc, vel illud, in quorum aliquo necessario debet exerceri, à propria sua extrahuntur significatione, seu suppositione: vt latius in nostris Dialecticæ summulis docebamus. Consequentia verò illa, etsi nostris Vasquio, & Soario supra non dissonet magis, quàm antecedens, me tamen iudice, hæretica est: siquidem *hic homo*, & *illa homo* personas significant iuxta dogmata Patrum omnium recitata, & omnium Theologorum, nemine excepto doctrinam: de fide autem est Verbum nullam personam humanam assumpsisse contra Nestorium.

8 Idcirco facilè, & bene neganda est consequentia illa cum Anselmo ob variationem suppositionis vocis *homo* in consequenti, cum ex antecedenti *Deus assumpsit hominem* inferatur: ergo *assumpsit hunc hominem*.  
R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

Ex adiuncto enim pronomine relatiuo *hic*, & *ille*, quo nota singularitatis, & indiuiduationis ponitur, *homo*, qui de se naturam significabat solum, quia non significabat indiuiduationem, cum illo significat personam: ac proinde non magis valet consequentia, quàm si ex parte posita in antecedenti, totum inferretur: in alijs vero exemplis adductis non variatur suppositio: quia in hæc *homo currit* supponitur *homo* pro speciei indiuiduis, seu personis (philosophicis, de quibus statim, & ex quibus ad supposita etiam Theologica ratione materiæ consecutio valet) suppositione determinata: in alia vero humanitas pro singularibus, & indiuiduis humanis naturis. Vnde ob rationem datam licet inferre: ergo *assumpsit hanc, vel illam humanitatem*, licet enim ex parte obiecti idem omnino ipsum *humanitas*, atque *homo* iuxta Patres, & principia Theologica significet; at ex modo significandi illud, vt formam, & partem significet: atque eodem modo indiuiduam humanitatem cum pronomine demonstratio *hæc* ipsi adiuncto: quare neque eo adiuncto variatur suppositio, nec significatur indiuiduum per se, seu persona, sed forma, & pars singularis illius: vox autem *homo*, licet partem eandem significet; at vt formam, & partem non significat: etsi totum, quod persona claudit, non importet: quare aptum est, cum aliud signum indiuiduationem significans, quæ ad rationem personæ, & substantiæ per se requiritur, eius significato accedit, cum illo personam significare.

9 Quoniam verò suppositi philosophici meminimus, eius à Theologico distinctio explicanda est. Cùm enim Philosophis, Trinitatis, & Incarnationis mysteria abscondita omnino fuerint, idem prorsus eis suppositum, quod indiuidua substantia, & natura significabant: quare *hic homo*, idem prorsus, quod *hæc humanitas* significabat: quia ex humanitate singulari, & aliquo alio, siue positiuo, siue negatiuo substantiale aliquid concretum conlari posse ignorabant. Theologi autem, quibus ex Incarnationis, & Trinitatis mysterio aliquid aliud præter singularem naturam substantialem (siue positiuum illud, siue negatiuum sit) in supposito claudi, certum prorsus est, indiuidua adhuc natura, forma, & pars Theologici suppositi est, quæque *hunc hominem* (qui eis nõ solum humanitatem hanc, sed suppositum Theologicum illud sonat, quia illam singularem naturam, non, vt partem, & formam denominantem, sed concretè, atque aptè, vt ex adiuncta singularitatis nota totum, & vt totum significat) constituit, ac denominet: quocirca humanitas apud Philosophos formam, & partem metaphysicam significabat, & vt partem, non quidem suppositi Theologici, sed philosophici, id est indiuidue nature substantialis, à qua erat abstracta, & quam cum indiuiduatione componebat, quod vnicum naturæ substantialis concretum apud ipsos erat, & nomine hominis huius, æquè, atque huius humanitatis significabatur apud Theologos autem cum vterius concretum sit, nempe Theologici suppositi, siue personæ, idem ipsum quod suppositum philosophicum ipsis erat, altero nomine æquè eis significato, forma, seu pars suppositi Theologici est, eaque abstracto solum nomine significatur: concreto verò *hic homo* suppositum Theologicum tantummodo: vnde consequentia illa poterit distingui non incongruè, ergo *assumpsit hunc hominem* philosophicè acceptum, fateor: Theologicè acceptum, nego: quod idem est, ac concedere, assumpsit hanc humanitatem, non autem suppositum, vt ex dictis patet.

10 Quod si istes, *homo*, quia concreta vox est apud Philosophos, & ex primæ institutione non naturam solum præcisam significare, sicut humanitas, sed compositum, seu coniunctum aliquid ex ea, & alio, quod nequit non esse concretum ex illa, & differentia indiuiduali saltem significata confusè, vt nonnullis

video placere. Nihil contra id, pro quo certauimus, euincens: neque enim suppositum, seu personam Theologicam significare obtinebitur. Sed certe mihi vox *homo*, ut dixi, nihil amplius, imo nec Patribus recitatis cert. 6. quam humanitas, scilicet naturam humanam ex parte obiecti sonat: est enim speciei vox, quæ à differentiis indiuiduantibus præscindit, & tunc ab indiuiduis abstrahitur; licet aliter ex parte modi significandi illam sonet. Humanitas enim, & vox quæuis abstracta substantialis naturæ communis præcisionem ipsam mentis nostræ denotat, quæ ad obiectuum significatum substantiæ obiectæ, & significatæ non spectat, sed ad modum nostrum concipiendi, & significandi:

quem tamen vox concreta *homo* non concernit; quare apta est, ut adiuncta altera partis alterius, seu indiuiduationis nota indiuiduum substantiale totale, & totaliter, quare, & suppositum, & personam significet. Ex quibus omnibus, si iudicio fiderem meo non solum veram in sensu proprio Theologico eam propositionem *Deus assumpsit hominem* concluderem, sed & dogmaticam: quare & eius contradictorium *Deus non assumpsit hominem* prorsus ab scholis Catholicis relegandum censerem. Sed ut initio huius quæstionis professus sum, eius propositionis procuratorem solum ago, non iudicem: totiusque causæ iudicium Doctoribus megrum esse volo.

